DE

SAGARVM

(QVAS VVLGO VENEFICAS APPELLANT)

NATVRA, ARTE, VIRIBVS & factis: Item de notis indicijsq;, quibus agnoscantur: Et pœna, qua afficiendæ sint,

Censura æqua & moderata

D. JOANN: EVVICH

Inclytæ Reip. Bremensis Medici ordinarij.

I. CORINTH. 10.

Nolite societatem habere cum Dæmonibus.

BREMAE,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

THEODORI GLVICHSTEIN.

ANNO CIↃ. IↃ. XXCIV.

1442 E 190

EPIGRAMMA

Ad Lectorem.

Sortilegûm, generis Sathanæ, naturæ, potestas,
Facta: Notæ, & justo Pœna statuta modo,
Lector, in hoc breviter traduntur cuncta libello,
Tam benè, quam multis antè voluminibus.
Hunc igitur, qui vult sagarũ σφάλματα nosse,
Ære perexiguo comparet, atque legat.
» Scire mali causas, ars est non infima, verùm
» Laus vitare tamen maior, & esse bonum.

VVernerus Evvich.

BK
A 338N

GENE-

GENEROSO ET ANTIQVA PROSAPIA VIRTVTEQVE PRAECELLENTI SYMONI COMITI AC DOMINO de Lippia & Redtberg, Domino in Eſentz, Stedesdorff & VVitmunden, Domino ſuo clementiſſimo

S. D.

MEdius quidã unus ex Alexandri paraſitis, generoſiſſime Comes, alios ſolebat adhortari, ne meturent quoduis crimen in quemvis intendere: adjecitq; huic conſilio ſuo appoſitam cauſam: Nam ut maximè (inquit) ſanet vulnus, qui delatus eſt, manet tamẽ cicatrix. *Medius.*

Hujus ſceleratı hominis, cujus nomen meritò in Hiſtoria extare non debebat (ut illiusqui artem ſchlopetariam mortalibus exitioſam invenit) doctrinam nimiũ uſitatam hoc extremo ſeculo experimur. Dum nemo ferè quantumvis innocentiſſimus, ab hac Mediȷ arte, quam ille procul dubio ab archimagiſtro ſuo

Sathana hauſit, impunis eſſequeat. Nam ut hic ſemper ſui ſimilis manet, hoc eſt, calumniator, ita unũ hoc agit, ut ſuſpicionibus, odijs, diffidijs, publicam tranquillitatem ubiq; turbet, & melioris notæ homines infamia labefactet, quod cõmodius quam calumniando facere non poteſt. Nec opus eſt exemplis. Totus mundus hoc vitio ſcatet, imò ferè opprimitur. Docti, pij, honorati, nobiles, illuſtres hoſce Medianorum ſycophantarũ morſus teſtantur, queruntur, patiuntur.

Quare nequaquam mirum, ſi & mihi, qui nullum locum inter eos, quos dixi, mihi vendicare poſſum, idem aliquoties acciderit. Ante viginti tres annos libellos duos de rebus Theologicis edidi, quorum uno abſurdos ſectariorum noſtri ſeculi errores, refellere, & quaſi expurgare: altero ſanam doctrinam confirmare conat° ſum. Sed Deus bone, quot hic ſtatim Medij diſcipulos in me excitavi, dum alij nimia lenitate errores me fovere: alij contrà nimia vehementia errantes periculis objicere nonnulli falcem meam in alienam meſſem me mittere

tere dictitarent, & ſimulationis, acerbitatis, ac πολυπραγμοσύνης accuſarent; Similiter anno ab hinc vigeſimo primo, cum cœpta eſt renouari quæſtio de ſagis per clariſs. virum D. Iohannem VVierum Ducis Cliviæ &c. archiatrum, breui forte epiſtolio, quod autor ſua hūanitate operi ſuo adjecit, viſus ſum ejus probare inſtitutum, exceptis duobus articulis, de quibus tū quidem coactus ſum pauliſper ἐπέχειν, & ſententiam meam ſuſpendere. Hoc autem quoque non ſine Mediano toxico mihi ceſſit. Nam mox quaſi peccandi licentiæ fautor audire ſum coactus. Contigit autem poſtea, ut & ego paulò diligentius illam cauſam meditarer, & alij virī docti excitati ſint, qui eam integris libris explicarent. Sed quia hi non planè conſentire videntur, res magis intricata eſt, & Magiſtratus quaſi ea varietate offenſus, alicubi plus ſolito adverſus illud genus hominū ſævire cœpit. Vnde non læuia ſcandala oriuntur: dum unâ cum noxijs haud rarò etiam innocentes, non tantum ſuſpicione vel infamia, ſed etiam indigniſſimis

pœnis premũntur & è medio tolluntur. Hanc ego indignitatem (fatebor enim quod res eſt) cum ægrè ferrem, & ſæpe de hac cauſa apud alios data occaſione diſſeretem (medicis enim frequenter offertur & quaſi jure quodam diſcernenda proponitur) rogatus ſum à quibusdam fraternè & reverenter mihi obſervandis amicis ac Dominis, ut ſcripto aliquo, quid in tota hac cauſa probandum vel improbandũ mihi videretur, explicarem. Quod ut facile recepi factũrum, ita poſtea dum manum mentemq; operi applicarem, vehementer laborioſum expertus ſum, non modò quod res per ſe difficilis ſit, ſed etiam quia ſententiarũ diverſitate (ut fieri ſolet) reddita ſit difficilor.

Quamobrem maximè opus eſſe vidi huic meæ cenſuræ non ſolũ æquo judice qui rem ipſam poſſit diſcernere, ſed etiam benigno patrono, qui adverſus Medianitas, quos dixi, velit tueri.

Te igitur generoſe Comes & Domine mihi omni officio & ſtudio obſervande, te (inquam) inter alias illuſtres per-

perſonas præcipuè mihi compellandũ duxi, ut qui non modò authoritate & generis ſplendore, verum etiam virtute & literarũ cognitione pollens facile queas præſtare, ut nec cauſæ juſta dijudicatio, nec autori neceſſaria deſit defenſio.

Det Deus optimus maximus. G. T. ut quem animum erga religionem & viros literatos habes, eundem non modò conſtantem, ſed etiam auctum porrò ſentiat. Reſp. Chriſtiana: quo ſicut nunc es noviſſimus in tuo genere, & ſpem poſteritatis ſolus ſuſtines, ita primus aliquando fias tum hac, tum illa fœlicitate, cum tuo tuorumq; ſubditorum gaudio, & ad Dei ſempiternam gloriam. Vale generoſiſſime Comes, et hanc qualem cunq; opellam, quaſi obſervantiæ meæ erga G. T. aliquod pignus, & imminentis novi anni ſtrenam clementer excipe. Datum Bremæ anno 1583. menſe Decembri.

T. G.

reverenter & officiosè colens,

Iohan Evvich Medicin. D.

PARS PRIMA, DE SAGARVM (QVAS VVLGO VENEficas appellant) natura, viribus & factis.

MVLTIOLIM ET NOstro quoq; tempore de Sagis seu Lamiis (quas vulgò veneficas vocant) scripsêre, & quidem integros libros: quibus non solũ de earum natura, studiis, viribus, artibusq; (Si artis nomine appellandæ sunt præstigiæ) Sed etiam de indiciis seu signis, quibus agnoscantur, ac pœna, qua plectendæ sint, studiosè inquirunt, & accurratè prolixeq; tractant. Non sequuntur tamen omnes eandem ubiq; sententiam. Maxima enim pars inolitam consuetudinem, & communem opinionem retinent: Pleriq; dum errores eorum, à quibus dissentiunt, indicare satagunt, ipsi novos errores pariunt, & rem magis intricant: Nonnulli nimium, nonnulli minus, quam oportet, sagis tribuunt. De Notis etiam, quibus cognosci debent,

Varietas scriptorũ de causa Sagarũ.

bent, non leviter dissentiunt, dum eas, quas hi ut probabiles & rationi consentaneas recipiunt & usurpant, illi tanquam vanas & fallaces respuunt. Quidam antiquitus non extitisse hoc genus hominum, & proinde pœnam veteribus usitatam illis non convenire autumant: Aliqui propter ipsa facta, quæ eis ascribuntur, alij tantummodò propter impiam apostasiam, qua Deum abnegãt plecti posse putant, Tandem vix finis opinionum est: quò fit, ut sæpenumerò inconstanter & parùm rectè non tantum à vulgo, sed etiam ab ijs, qui ad rerum gubernacula sedent, de tota causa judicetur, imô ut multi præjudiciis abrepti gravissimè hallucinentur, & erroribus delicta accumulent. Fit enim hoc (ut dixi) discrepantia Scriptorum, qui non eodem modo de eadem re sentiunt & judicant. Neq; id solum in hac Sagarum causa accidit, quæ alioqui per se obscura est, utpote à patre tenebrarum, errorum, omnisq; confusionis profecta; sed etiam in ipsa Sacrosancta Theologia, & religione Christiana: Vnde miserandum in modum homines turbantur, adeoq; distrahuntur judiciis animi,

ut quod uni nefas est, aliis pietatis loco habeatur: Quod hic verum, ille erroneum & falsum æstimet: Itaq; in sua quisq; opinione progrediatur, ut miserabilis tandem facies in Ecclesia nascatur, & utrobiq; magistratus alicubi horribili ferocia & Tyrannide incendatur, subditi verò tùm formidine concutiantur, tùm inter se odiis, rixis, suspicionibus committantur & confligentur.

Dissidia in religione.

Res igitur, quam aggredior, ardua est, & de qua verissimè dici possit aphorismus ille Hippocraticus, ἡ μὲν πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ, id est, Experimentum periculosum, Iudicium difficile. Difficillimum enim in tanta sententiarum varietate, & rei perplexitate punctum illud invenire, in quo immota consistat veritas: aut saltem ejusmodi medium, quo tutissimè eas, hoc est, neque in doctrinam veritatis impingas, neque pacem publicam turbes, ut vel periculum insontibus crees, vel nocentes licentiaditeriores reddas. Quorum utrumq; quia grave est homini pietatis veritatisq; studioso (quod utinam de me verè predicare possim!) prudens lector mihi (ut spero) vitio non ver

1: Aph. 1.

vertet, si quando magis ad illius judicium inclinare videar, qui in rebus dubiis mitiorem semper sententiam sequendam dixit: & alterius, qui præstare ait, multos nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare. Non enim eò hoc à me fit, ut peccandi impunitati patrociner, sed ne cuiquã injuria fiat, & ne plurium malorum, quæ modò commemoravi, ansa præbeatur. Veniam quoque mihi dabit æquus magistratus, si eandem libertatem usurpavero, quam multi alij ante me usurpârunt, id est, ut de communi causa, judicium meum in commune proferam: præsertim cùm hæc res quoquo modo ad medicos etiam spectet, & medicis frequenter offeratur, ac molestiam præbeat non exiguam. Neque tamen eò hoc à me fiet, quò aliis aliquid, velut novus dictator, præscribam, quod tanquam normam irrefragabilem sequantur, sed ut occasionem dem universis, qui hanc censuram nostrã legent, quò collata sententiarum diversitate, ipsi quid verius rectiusq; sit, statuant, neque facile aliquid arripiant sequanturq;, quod non satis intelligunt: neque dubia conscientia,

ff. de reg. Jur. L. fictũ cuiq; suum § in pœnalibus. Item L. in pœnis cod. in 6. Item in L. omnibus quidẽ eodem.

si

ſi quando uſus poſtulat, ut de vita morteq́ judicium ſit ferendum, aliquid admittant, cujus ipſos poſteà pœniteat: & verum experiantur, quod poëta canit: ἦ οὐ κακῶσ δικάσῃσ, σε θεὸς μετέπεσσε δικάσαι, *id eſt, Judicij vindex tandem Deus extat iniqui.*

Diſtributio. *Vtar autem hoc ordine, ut Primò de Sagarum natura, viribus, factis & præſtigioſis conatibus agam: Deinde de Indiciis ſeu notis, & ſignis quibus dignoſcantur: Tertiò de pœnis, quibus meritò affici poſſint. His enim tribus partibus univerſa hæc cauſa Sagarum nobis concludetur: quas tamen partes non abſolutè ac prolixè tractandas mihi ſumpſi (quid enim opus eſt actum agere, aut quî poſſim vaſtum mare anguſto rivulo comprehendere?) ſed tantùm ſumma ſequens veſtigia rerum, notare potius, quid non rectè, quam enucleare quid rectè, (quanquam utrumque mediocriter) in hac cauſa fiat, decrevi.*

Nomina Sagarum. *Principiò igitur etſi plura & diverſa nomina ſint, quibus appellari conſueverunt Sagæ: tamen non omnia æquè naturam earũ jndicant, neq́ æquè propria ſunt: Deinde quam-*

quamvis muliebres nomenclaturæ ſæpius uſurpentur: attamen haud rarò in virilem quoque ſexum crimen ipſum cadit. Ac nomina quidem ſunt Saga, Lamia, Striges, Venefica, Maleſica, Maga, Præſtigiatrix, Pithonica.

Dicuntur autem Sagæ à Sagiendo, quaſi præſagire multa poſſint (plurimum enim ipſæ ſibi arrogant) quæ alij ignorant: Lamiæ à ſpectris, ſeu Empuſis veterum, quibus quodammodo ſimiles ſunt: Striges ab ave ejuſdem appellationis, quam credebant veteres noctu infantibus lac in os immulgere, ut Sagæ noſtræ eorundem adipem ad ſua pharmaca conficienda ſingulariter appetunt: Veneficæ, quia venena aliquando exhibent, non illa quidem vera (nam ſic ad aliud maleficorum genus pertinerent) ſed arte Diabolica compoſita, & ſæpè natura ſua innoxia: Maleficæ, cujus ratio nota eſt. Incantatrices, à præſtigioſis verbis, & imprecationibus, quibus ſe multa præſtare poſſe, fruſtra ſibi perſuadent: Magæ, quod ope Sathanæ conentur ſua prodigia efficere: Præſtigiatrices, à ſuperſtitioſo agendi modo, quo utuntur, dum pro-

Notatiò nominũ.

fanas

fanas artes suas exercent: Pithonicæ, quia Sathanam velut pithonicum oraculum consulunt & invocant. Dicuntur & sortilegæ, quia quasi jacta sorte Sathanam futura interrogant: Atq; hæc nomina latinis plerumq; usitata sunt; græca verò: Vt Φαρμακίδες, Φαρμακεύτραι, γοντεῖς &c. propemodum eandem habent significationem. Postremò hebræa vox Chobarim eos denotat, qui malo & clandestino astu scelera committere satagunt.

Lamber. Danæi. de Venefi.

Siquis autem horum nominum plenioremm interpretationem requirit, legat inprimis eruditissimam disputationem de Lamijs D. Erasti viri clarissimi, & veteris veraq; medicinæ vindicis acerrimi: Item celeberrimum experientissimumq; medicum D. Iohan. VVierum, de præstigiis Dæmonum: qui ambo quanti apud me sint, facilius cogitatione, quam verbis, aut scriptis testari possum. Quanquam enim nonnihil inter se non de tota causa, sed de quibusdam tantum articulis dissentiant, tamen quum amborum studia in pium tendant finem, non est meum, κρίτης εἶναι φίλων. Ego autem (quod sum

Tho. Erastus.

Joan. Wierus.

sum protestatus anteà) non nisi succinctè & compendiosè de negotio proposito institui agere. Sit verò liberum unicuiq; nominibus uti quibuscunq; volet, modò ne nominum varietate res ipsa, de qua agitur, confundatur, sed eadem semper intelligatur. Etsi enim varia nomina attribuantur Sagis nostris, propterea quod plura peccata & diversa crimina aliquando in idem subjectū concurrant & velut una in sede morentur; id tamen non semper ita se habet, neque confundēdæ (inquam) propterea res ipsæ, neque vitia diversa una nota & censura judicanda. Si enim propriè loqui volumus, non eædem sunt magæ, vel veneficæ, quod Sagæ nostræ: neque præstigiatores idem quod magi, aut Striges. Fit enim ut in virtutibus, sic & in vitiis & peccatis, & magis quidem in peccatis, quippè in quæ pronior est lapsus, (κακότητα γὰρ, ut poeta loquitur, καὶ ἠλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι, μάλα γὰρ δ᾽ ἐγγύθι ναίει) ut cognatio quædam sit inter ipsa, propter quam cognationē, ut nec propter nominum promiscuam usurpationem, non temerè (ut hoc identidem repetam) res confundendæ, cùm agi-

Hesiod. oper. & dier.

agitur seriò; ut profectò in hac causa fieri oportet, ne temeritas (quod dixi initiò) culpã accersat. Sicut enim furtum & rapina sive prædatio affinia sunt peccata, & crebro in ijsdem hominibus inveniuntur: tamen id non fit perpetuò, neque ob id semper eadem decernitur pœna. Et dolus frequenter in hæresi est, non tamen omnes hæretici dolosi sunt. Avaritia & idololatria longè diversa sunt peccata: tamen scriptura avaritiam aliquando vocat idololatriã, quia affines sunt idololatris, qui opes immodicè inhiant, vel malis artibus acquirunt, vel impiè usurpãt.

Quid sint Sagæ, Descriptio triplex.

Lib. de Lamijs & Pithon. Mulieribus.

Quid autẽ propriè sint Sagæ nostræ, tres sequẽtes descriptiones perspicuè indicãt: quarum prima colligitur ex Vlrico Molitore Jur. Cano. quondã Professore Papiæ, et Consiliario Sigismũdi archiducis Austriæ, his ferèverbis: Sagæ sunt maledictæ mulieres, quæ quamvis effectualiter nihil possunt perficere, nihil ominus tamẽ instigante Diabolo vel ob desperationem, vel ob paupertatem, vel odia vicinorum, vel alias per Dæmonem immissas tentationes, quibus, ut debebant, non resistunt, à pijssimo Deo recedentes, Diabolo sesẽ velut holocausta & sacrificia offerentes apostatant, pravamq; hæresin, id est, cacodæmonum societatem sectantur.

Secun-

Secundam constituit clariſs. Germaniæ uuedicus Tho. Eraſtus, in hæc verba: Saga eſt mulier maga, vel incantatrix, vel præſtigiatrix (vel quomodo cuiq; appellare libet) quæ abjurato prius Deo & religone vera, Cacodemoni ſe ſtipulatione manifeſta mancipavit. ut præter alias pollicitationes ac ſpes, ab eo doceatur carminibus, herbis, rebus aliis per ſe innoxijs elementa turbare, tempeſtates ciere, hominibus, iumentis, frugibus nocere, aliaq; mirabilia & naturæ impoßibilia facere. Hæc deſcriptio luculenta eſt, quam ſi prius animadvertiſſem, ſequentem fortè non addidiſſem. I. parte Paracelſ. Diſ. & Diſp. de Lamiis

Tertia igitur mea eſt, à prioribus non multum differens, hoc modo: Sagæ ſunt homines, plerumq; fœminini generis, quæ Deum verum abnegant, ſeductæ fraude, conſilio & inpulſu Sathanæ: Cui interveniente quodam ſuperſtitioſo contractu, ſeſe mancipant, eiusq; ope atq; hortatu multa nefanda & incredibilia machinantur, plerunq; in aliorum perniciem, obſervatis quibuſdam præſtigioſis ceremoniis, vel diris ſaltem conceptis votis & imprecationibus. Hæc deſcriptio ferè univerſam naturã Sagarum, de quibus nos agimus, continet. Quare videtur operæ præcium, ut eam latius & ordine explicemus. H. Card. de variet. rer. 12.

Omittendam enim ſentio quæſtionem, An ſint Sagæ. an ſit. Nimium enim (prò dolor) multas eſſe

hoc extremo mundi ſeculo, res ipſa clamat. Olim verò num fuerint nec ne, parum interest quærere, cùm certum ſit vel fuiſſe, vel prorſus ſimiles fuiſſe, tum quod ad culpam, tùm quod ad pœnæ meritum, vel puniendi jus attinet, ut in ſequentibus dicetur latius. Pergo igitur ad juſtitutum.

Saga homines ſũt quo ad ſubſtantiam immutata.

Primùm ergo homines eſſe Sagas, nemo hominum ſani judicij negaverit. Nam id non tantùm externa hominis effigie, ſed etiam interna forma, & quæcunque ab hac proficiſcuntur, nativis facultatibus, actionibus, dictis & factis earum conſtat. Forma autem (ut Phyſici ajunt) dat rei eſſe, id est, eſſentiam, à qua etiam plerunque res appellationem habent: adeò ut eruditi Dialectici, nomina implicitas rerum definitiones vocent, ſicut viciſſim definitiones explicita rerum nomina. Quamobrem ſi quando res quæpiam hac forma privatur, non jam res eadem manet, etiamſi ὁμονύμως, id est, æquivocè ſic appelletur, ut homo vel Leo mortuus, vel eadem hæc picta, quibus nunquam forma interna fuit, ijſdem tamen nominibus quaſi ſynechdochicôs appellantur, quòd aut commodiora non ſuppetant, aut propter

Forma.

ſtatum priſtinum, cum res integræ adhuc eſſent, aut denique ob ſimilitudinem extrin ſecus inductæ ſpeciei & effigiationis. Sin verò interior illa forma, atque adeò ipſa anima, καὶ ἐνδελέχεια prorſus ablata ſit, res interijſſe, vel animal mortuum eſſe & in cadaver, ſeu aliud aliquod rerum genus, non per Pythagoricam μετεμψύχωσιν, ſed per privationem (quæ Ariſtoteli principium quoddam eſt, medium inter materiam primam & formam) evaſiſſe dicitur.

Quæ cum ita ſint, non immeritò aliquibus admiratione dignum videtur cujusdam recentis epiſtolographi judicium, qui cum reddere rationem ſtuduit, quare Sagæ, dum explorantur immerſione ſeu purgatione (ut vocant) per aquas, tanquam pumices ijs innatent, & nequaquam ſubmergantur ait illas prioris ſuæ formæ ſtatum (his enim verbis utitur) ab eo tempore, quo cum Sathana neceſſitudinem ineunt, protinus amiſiſſe, nec eſſe amplius tales homines, quantum ad formam interiorem ſpectat qualcs ante fuerunt, adeoq; novam prorſus formam aſſumpſiſſe, ut definiri poſſint, homines eſſentiam Diaboli (horreſco referens) à quo obſidentur, participantes. Additpræterea (ut non ſo-

An Sagæ ſubſtantialiter ſint mutatæ.

Scribonius "De admiratione Sagarum"

lum περατόλογον, sed etiam indoctum Philosophum & ματαιόλογον se esse ostendat) quasi causam paradoxi sui: quia malus iste genius (ait) Sp. & rex aeris, qui causa & origo est peccatorum omnium, corda istarum mulierum, & reliquas universas partes ita occupavit, ut totas per totam illarum essentiam, essentiaeq; partes singulas (ὦ θαῦμα ῥημάτων) Substantialiter sit diffusus, ut tantisper dum pœnitentiam veram non egerint, & omnino resipuerint, non poßit ab ulla corporis earum parte abesse: Ideoq; sagas nihil amplius boni poße cogitare aut efficere, sed perpetuo peßima quæq; flagitia perpetrare, & solum aliarum creaturarum perniciem moliri. Si quid boni verò aliquando præseferant, pietatem aliquam simulent, vel Ecclesiæ mysterijs se immisceant, id instinctu & permißione Dæmonis fieri, ne deprehensæ ad pœnam rapiantur, prius quam satis malitiam suam per earum ministerium exercuerit. Vnde priori utens asseveratione, neminem (ait) debere dubitare, quin & totius Corporis Sagarum facultates & potentiæ prorsus immutatæ sint, Ac pristina quoq; earum forma perierit. Hæc ille & quidem (paucis ob brevitatem resectis) ferê αὐτολεξεὶ.

Refutatio. Quid verò ad paradoxum hoc judicium, aut potius commentum debet responderi? Sanè quod res est, non solum seipsum oppu-

oppugnare & ἀσύγγνωστον esse, sed etiam in Philosophiam simul & Theologiam impingere, & multipliciter peccare. Si enim priorem formam prorsus amiserunt Sagæ, & Diaboli essentiam substantialiter acquisiverunt, ut pristini homines videri non possint, &, quod consequens est, ne homines quidem, nisi æquivocè, ut imperiti loquũtur de lycanthropis (quanquam hos externam formam potius quam internam amisisse aliqui opinantur) vel de Satyris nugantur fabulæ, quî nam eas vult resipiscere & veram pœnitentiam agere, quod fieri tamen posse vel ipsomet teste videtur? Resipiscentia certè, vel ipsa etiam voluntas resipiscendi & pœnitentiam agendi non est in cacodæmonibus, sed in hominibus, etsi graviter interdum à Cacodæmone impeditis: Et siquidẽ nihil boni amplius cogitare neque efficere possunt, quomodo unquam resipiscent? Sin hæc non aliter atque in reliquis hominibus fieri putat, quos similiter scriptura affirmat sufficientes non esse (suis viribus puta) quicquam boni cogitare, quid attinet tam incredibilem metamorphosin imaginari, ut

Sagas prorsus omnem humanitatis formam (internam dico) exuisse, & tantum non in cacodæmonas transmutatas esse scribat? Non est enim aliud pœnitentia, quam dolor ante actæ vitæ, & (quod vox græca indicat) sapiendi vivendiq; in melius commutata ratio, haud quaquam nova substantialis generatio. Etsi enim scriptura sic loquitur de Nebucadnezaro quasi in feram mutatus fuerit, tamen id non juxta τὸ ῥητὸν oportet intelligere, alioqui non restitutus, sed novus omninò creatus homo diceretur (Non enim resurgit, quod non cecidit, ut de resurrectione hominum universali loquitur Augustinus.) eodemq; modo de omnibus peccatoribus, imò de omnibus hominibus (quia omnes homines peccatores sunt) foret judicandum, quod est absurdissimum. Nullus enim Philosophorum depravationem hominis, ablationem vel imminutionem Substantiæ, & rursus emendationem ejus, novæ Substantiæ generationem vocavit. Neque tam insani sunt Theologi, præter unum Illyricum, Manichæi sobolem, ut peccatum Substantiam esse contendant, aut ut vel priorem

pœnitentia μετάνοια

Jerem. 4. Augustin. de civit. Dei. 13.

priorem ſubſtantiam ablatam ſuccedente peccato, vel peccato ablato, novam ſubſtantiã genitam credant, Sequeretur enim nunquam verè homines eſſe, cum ſemper adſit peccatum, neque unquam homines regenerari, cùm reliquiæ peccati in hac vita numquã planè auferantur: Aut omnes homines ſemper geminam retinere ſubſtantiam (quod horribilius eſt, quam dæmoniacos, id eſt, dæmone obſeſſos eſſe) humanam ſcilicet & Diabolicã, & ſtupenda eſſe naturæ monſtra, aut (de qua fabulantur) Meluſinæ Diaboli ſuccubi, & hominis alicujus (poſſe enim Diabolum & ſuccubi & incubi partes agere aliqui credunt) Sicut Heroas ſuos ex Dijs & hominibus genitos credebant Ethnici. Quarum duarum opinionum huic quidem affinis eſſe videtur illa Oſiandri, quum Iuſtitiam hominis eſſentiam, aut quaſi eſſentialem aliquam particulam Dei eſſe contendit: Illi verò eorum quodammodo congrua eſt, qui in infantium Baptiſmo tantoperè urgent exorciſmum, hoc eſt, Diaboli bannitionem ſeu ejectionem, percuſſorem pro vulnere accipientes. Dæmon enim & peccatum longè dif-

Vide Pet. Viretum Dialog. De mundo Dæmoniacò.

Alex. ab Alex. de diebus genia.

ferunt, cum ille sit creatura, hoc tantum naturæ depravatio, (quemadmodum morbus ab ægrotantis corpore differt) quæ depravatio non tollitur exorcismo, sicut nec morbus corporis sermone aut verbis hominum, sed Dei potentia, & salutaribus idoneisq; remediis. Pet. Pomponatio celebri olim in Italia medico, oblatus est æger Lycanthropia (quæ est Species melancholiæ, qua se homo in lupum mutatum existimat) laborans, quem rustici forte sub fœno repertum captumq;, quia se lupum esse clamabat, & fugere illos jubebat, ne ab ipso devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent an versipellis esset, id est, inversos pilos haberet (Sic enim erant persuasi errore populari) Sed Pomponacij intercessione dimissus & per idonea medicamẽta curatus est. Simli ferè errore tenetur passim imperitum vulgus, quod credit Sagas nostras interdum in feles mutari, & mirifica tripudia, aliaq; quædam mutatis formis, vel invisibilibus factis patrare, quæ plerunque somnia sunt, & Diaboli arte conficta. Hæc ergo cum ita se habeant, manifestum est quam alienum & in Ecclesia Dei intol-

Lycantropia. Johan. VVier. 3. de præst. D.

Augustin de Civit. Dei &. Isidor. ethim. 8. Rhas. de cur. morb. Augustin de Spirit. & anima.

intollerabile ſit novum hoc Manichæi dogma de Subſtantiali mutatione hominis, & participatione eſſentiali naturæ Dæmonis ob præſentiam peccati: Eſt enim peccatum depravatio ſubjecti quoad qualitates (nempe naturæ puritatem, integritatem, rectitudinem, firmitatem & dignitatem: vel brevius, Iuſtitiam & honorem) non quoad eſſentiam. Et Sathan qui illam depravationem invexit, non eſſentiali commixtione, vel ſubſtantiæ ſuæ effuſione, quaſi naturali ſemine, ſed ſuggeſtione, fraudulenta perſuaſione homines primos corrupit: alioqui Evam dæmoniacam & Diabolo obſeſſam fuiſſe credendum eſſet, imò poſt lapſum, Meluſinam quandã (quod eſt blaſphemum cogitare, ne dum dicere aut ſcribere) &, quod antè dixi, nos omnes, qui ex illa nati ſumus, teterrima monſtra merosq; Merlinos aut Satyros. Phu turpitudinem verborum, ad Turcas & Dei inanes gentes iſtiuſmodi impiam Philoſophiam, & hæreticam prorſus Theologiam, minimè Academiis & reformatis civitatibus dignam, multoq; adhuc minus in Chriſti Schola ferendam.

Johan. 8. 3
Gen. 8.
Auguſt. de civit. Dei. 15.

Hæc obiter dicere coactus sum propter absurdam illam & inauditam ablatæ in Sagis formæ hominis internæ, ac participatæ Substantiæ Sathanæ opinionem: quam recenter quidam probare ausus est. Constat enim illas eosdem homines manere, qui fuerunt anteà, sicut & reliquos peccatores, sed corruptæ naturæ per primum peccatum, gravissima & prorsus enormia scelera indies accumulare. Hæc ergo non intelligere, hominis est naturam Sagarum prorsus ignorantis.

Sagæ plerumq; sunt mulieres.

Sequitur jam in descriptione nostra, plerumq; fœminini generis esse, quæ hæc scelera admittunt. Nam etsi & viri non rarò culpabiles inveniantur: tamen frequentius seducuntur fœminæ, Nimirum ob sexus infirmitatem, ad quam accedit sæpe infirmitas quoque senectæ, aut imperitia adolescentiæ, aut mala educatio. & in doctrina cæleſti prava & negligens institutio: Item vitæ dissolutio, securitas, odium & invidia adversus alios, paupertas, desperatio. Quæ omnia diligenter observans vigil & adpernicem industrius Sathan (ut simul ad sequẽtem descriptionis paragraphum transeam)

non

non segniter agit pollicitationibus, persuasione, extenuatione peccati, consilio, impostu-
ris, auxilio & ope, ut ad hoc crimen miseras & incautas impellat. Nam simili artificio adortus est primam generis humani matrem Evam non Adamum maritum ejus, dum eam ad vetiti pomi comestionem & mandati Dei transgressionem sollicitaret: ut hujus consilio subinde vir quoq; ipsius eodem implicaretur casu, ambo prævaricantes, & se adversus Deum (ut cum Plauto loquar) impiantes. Vnde non solum origo, sed etiam propagatio peccati, & quicquid ex eo malorum & calamitatum consequitur, derivarunt. Seduci igitur Sagas impulsu fraudeq; Sathanæ manifestum est. Quanquam hic in seducendo non idem semper sequatur Consilium, prout in unaquaq; animadvertit, ad quod flagitium pronior sit, & quas reliquas observat in singulis vitæ conditiooes sibi convenientiores.

3. Genes. 3. Iohan. 8. Peccati origo & depravatio. Genes. 2. 3. Rom. 5. 1. Ioh. 3.

Ad quod autem crimen Sagas seducit? Certè non ad vulgare, sed ad omnium maximum, nempe ut ipsius exemplo, qui primus defector est, Deum ipsum Creatorem

4. Sagæ abnegant Deum.

suum

ſuum prorſus deſerant, abnegentq́ imò ipſum blaſphement, ipſi maledicant, & totis viribus, toto corde totaq́ mente execrentur odioq́ habeant. Cùm enim ſit implacabilis Dei hominumq́ hoſtis, illiq́ honorem & gloriam, huic fœlicitatem & ſalutem inuideat (nouit enim beatitudinem & æternam vitam nobis promiſſam eſſe) quid magis optare poſſit, quid urgere vehementius, quam ut homines à Deo auertat? Hoc enim cum perfecit, utrinque deſiderium ſuum implevit. Nam ſcit hominem ad honorem Dei conditum eſſe, quem ſi ei exhibemus, Deo quidem cultum, quem decet, præſtitum, nobis verò ſalutem partam intelligit: Sin minus, Deum quaſi ignominia affectum, hominem autem ſalute priuatum eſſe.

Sagæ Dæmoni ſe mancipãt.

Abnegare ergo & deſerere primò Deum ſuadet Sagis: Deinde ad ipſum deficere, certoq́ fœdere & rato, ſcilicet, contractu ſe ipſi mancipare, ut poſt datam fidem, hæ quidem cultum quem Deo debebant, aut quem ſibi cunq́ gratum oſtendit, ipſi exhibeant, illæ verò quod maximè optarint, per ipſius fictam benevolentiam, infidum auxilium,

um, atque mentitam omnipotentiam impetrent. Impudentem enim esse veteratorem, & promittere quod vel non possit, vel non nisi simulatè aut ad perniciem cupiat præstare, indicat historia Evangelica, quæ refert eum Dei Filio Christo Iesu multa circunquaque regna, oppida, camposq; ostentasse, & si procidens ipsum adoraret, daturum promisisse. Tali ergo illectæ & captæ perfida liberalite infœlices Sagæ, quid porrò optent aliud, quam ad quod corruptissima earum natura, mens alienissima à Deo, voluntas ad nocendum propensissima ipsas incitat? Sunt enim post nefandam hanc apostasian adeò excæcatæ, ut interdum ne semel quidem cogitent, quem deserverint, nempe bonum & fidelem Patrem Deum: & ad quem defecerint, videlicet sumũ ipsarum hostem, ter perfidissimum crudelissimumq;, rugientem (inquam) illum Leonem, qui quotidie illas circumit, quærens occasionem ut laceret & devoret. Si enim vel leviſſime hæc aliquando meditarentur, quid fidei expectarent à parente perfidiæ? quid boni ab autore universi mali? Quid dicam amplius? filiæ Sathanæ sunt, quia Sathanæ Sp. agũtur.

Matth 4
Deut. 6.

1. Tim. 4.
2. Tim. 3.

Esai. 13.
Apoc. 22.
1. Petri 5.

6. *Rogat autem aliquis, quod descriptio nostra porrò continet, an igitur verum sit Sagas omnia illa mirabilia opera facere, quæ ipsæ sibi arrogant, & quæ ab alijs eis tribuuntur? Certè non omnia, imo ne minimam quidem partem: Non quod non velint, sed quod non possint. At Diaboli ope possunt inquies: Respondeo. Ad quæ natura aptæ sunt, illa vel sponte, vel Sathanæ auxilio, cum à Deo non impediuntur, possunt. Cætera haud quaquam. Nihil enim (inquam) Supra naturæ suæ vires possunt. Neque Diabolus ipse tanquam numen quoddam omnipotens haberi debet. Soli enim Deo hæc proprietas convenit, ut sit omnipotens, & ut miracula, qnæ sic propriè dicuntur, possit facere. Quæcunq; enim eiusmodi sunt, illa omnia unius Dei digito fiunt, quamvis interdum per alios fiant. Quæ ita non fiunt, etsi miracula Dei imitari videntur, præstigiæ sunt & fascina non miracula. Propterea frustrà creduntur Sagæ ex arido trũco lac posse emulgere, insita quadã vi in aquæ superficie hærere et non submergi, per aerem instar aviũ volitare, per caminũ sursum ferri, per formaina vix unguem*

Sagæ quid efficiant. Decret. 2. part caus 26. p. v. Th. Erast. com. para cel part. id est ca. 8

Auguſt. de Sp & lit. cap. 28

em lata egredi, testa conchæ velut navigio in æquore vehi, & insuper congeriem lapidum in sinu secum gestare, atq; hanc facultatem unguentis sibi affricare: Parare item pharmaca certis præstigiis incantata, quæ vel orè hausta, vel attracta odoratu lædant illos tantummodô, quos ipsæ velint, reliquis similiter usurpantibus nihil obsint: mari imperare, ut naves, quas jubent, absorbeat, ventos tempestatesq; cũ lubet in aëre ciere: acutos cultros per integram cutem, carnes, & ossa in profundam corpus intrudere, & post aliquod temporis intervallum rubigine exesos rursum extrahere: Solis votis & imprecationibus quævis animãtia & homines lædere aut necare, milleq; hujusmodi prodigia patrare, Luuam denicq; cœlo deducere. Hæc inquam Sagas posse & facere, quis sanæ mentis sibi patiatur persuaderi? Cùm eorum quædam veram sapiant miraculorum naturam, quædam sola Diaboli opera fiant: quædam deniq; tantum videantur fieri, cùm revera non fiant, videantur (inquam) fascinatis à Sathana. Novas autem vires & facultates (naturales dico) præter eas, quas primâ

Jerem. 15.
Lib. 1. Exod. 7. Apocal. 7.

ma creatione adeptæ ſunt, in Sagis quotidie à Sathana creari, vel ad nutum Sathanæ (quia Sathan creare nihil potest) illis à Deo inſeri, veriſimile non eſt.

Atqui fiunt tamen illa omnia, ajunt: percipimus enim ſenſibus noſtris; qui cum integri ſunt, circa objecta ſua falli non ſolent. Sanè quidem hercle fiunt quædam, & fieri noſtris ſenſibus percipimus, ſed quæ eorum propriæ ſint cauſæ efficientes, id quærimus. Fiunt, ſed non viribus & opera Sagarum: Quædam etiam revera non fiunt, Etſi fieri videantur, faſcinatis videlicet nobis arte præſtigoſa dæmonis, vel deceptis habilitate & artificioſa fraude Circulatorum: ut cum vomunt quidam, quod nunquam aſſum ſerunt. Hæccine vera eſſe credes, & non potius faſcino quopiam accidere putabis? Vidi ipſe, & adhuc mecum habeo donatos à matrona nobili (de qua ſuſpicio fuit læſam eſſe à Sagis,) pilos veros, quanquam radice (ut apparet) carentes, digiti longitudine, alios media parte albos, in extremis nigros, alios contrà nigros in medio, in extremitatibus albos, lentos, infractos: Item ſila quædam

ve-

veſtiaria, & quod (fidem excedit) ex altera parte nodata: Atq; hæc cum urina excêre. Nimis longum foret, & præter inſtitutum noſtrum, qui compendium tantùm promiſimus, iſta perſequi latius. Καλὸν γὰρ τῷ ἀπείρῳ, Quis autem non malit omnia illa faſcinationi Sathanæ tribuere, quam artificio Sagarum? Tametſi enim Sagæ hæc ſimiliaq; multa ſibi arrogent, revera tamen nihil præter ceremonioſos quoſdam geſtus, vel nefanda quædam verba, aut dira execrabiliaq; vota addere poſſunt.

Quod autem Sathan quaſi ex pacto in gratiam Sagarum iſtæc aliquando facere dicatur, alioqui forte non facturus, facilius eſt credere, quam probare. Non poteſt ille cogi ab hominibus impiis & ſuis jam factis mancipiis, quibus ipſe potius imperat, quam obedit, ſed novit hanc rotulam ita vertere, ut quod ſua ſponte & libenter facit, hoc ſe ſimulet ex contractu facere: & quod ſolus, permiſſu tamen Dei facit, illud Sagas facere mentitur, ut tanto facilius ſibi obnoxias & in officio retineat. Vtitur (inquam illis tanquam mancipiis, & admittit etiam ff. reg. Iur. L. cum ſervis.

ad eas res, ad quas nihil operæ conferre poſſunt: Imò quas ipſus quoq; non niſi ſimulanter aut apparenter facit, ut ſolent præſtigiatores (quorum Sathan dux eſt & omnium ſupremus Magiſter) quum miniſtros ſibi adjungunt, ſine quorum opera nihilominus ſua præſtigoſa facta poſſent populo exhibere. Adde his, quod Sathan etiam dormitantibus Sagis multa ſæpe perſuadet & phantaſiæ illarum obijcit, quæ revera ſe putant patraſſe. Hæc qui non credit, non eſt expertus multiplices errores, quibus involuntur non ſolùm Sagæ, ſed etiam quibus eſt negotium cum his, ut eas explorent, vel puniant.

Vlr. Molitor de Lam. & Pithon. mulier.

Hæc autem omnia non eò vergunt, ut negam multa & graviſſima eſſe earũ delicta, vel enim hoc unum (etiamſi præterea nulla ſint) ſat grave eſt, quod ſcientes volentes (quod nemo ſanus jure inficiari poteſt) Deum Creatorem ſuum abnegent, & nomen ſuum Sathanæ dent: Sed multa illis falsò tribui, quaſi fecerint, quæ ne potuerunt quidem facere, hoc verò improbandum & deteſtandũ puto. Deinde quæ fecerunt,

com-

communiaq; cum alijs maleficis quibusdam habent, ita in his solis exaggerari, tamq; atrociter puniri, quasi in eis solum extrema peccata sint, in aliis adiaphora, quis æquus rerum æstimator queat ferre? Qui medicinam faciunt, & imperitorum hominum judicia de causis remediisq; morborum quotidie audiunt, illis hæc non videbuntur mira. Quotusquisque enim plebeiorum vel rusticorum est, qui siquid mali accidat vel ipsis, vel eorum animalibus, agris aut reliquis bonis, quin protinus aniculam in suspicionem trahat, & contra illarum veneficia (si Dijs placet) expiationibus quibusdam & crucificationibus quasi pro remediis licitis & utilibus utatur? Nec pudet eos medicum interrogare, nunquid ejusmodi ex urina queat animadvertere. O vanam, & penè dixeram, Sagarum affinem gentem? Sed hæc hujus loci non sunt.

Pergamus ergo ad penultimum nostræ descriptionis articulum, quo dicitur, quod nefaria illa sua studia & opera quæ partim reipsa perpetrant, partim perpetrare saltem se putant & facere machinantur, id est, 7. Sagæ omnia in aliorum pernitiem faciunt.

ſtudent & cupiunt facere (cùm tamen ſint, quod ad effectum attinet, ocioſa tantum inſtrumenta, vel cauſæ admodum remotæ, à quibus res non ſolent denominari) quòd illa (inquam) univerſa ad damnum aliis afferendum plerunq; accommodant. Mali enim corvi malum ovum, ut proverbio dicitur: Et fructus referunt naturam ſuæ arboris, Non poteſt mala arbor bonos fructus ferre, Dico autem (plerunq;) quia veriſimile eſt etiam quibuſdam bene velle Sagas, & Storgas affectuſq; naturales erga ſuos liberos & quoſdã amicos adhuc habere, licet erga reliquos quàm rariſsimè. In hunc enim finẽ conducuntur à Sathana ut quam maximè offendant Deum & noceant hominibus. Sicut enim Deus conditor & conſervator eſt omnium creaturarum ſuarum, & maximè genus humanum conſervatum vult, ita Sathan vere abaddon. à D. Ioha. Zabolus vero à Cypriano dictus, perditam & deſtructam omnem Creaturam cupit, atq; hujus ſtudij ſui plurimos Miniſtros & Socios habere deſiderat. Præcipuè autem invidet, & inſidiatur piorum fidei & mutuæ inter

Abaddõ. Zabolus. Gen. 3. Matth. 4. 8. Pet. 5. Sapiẽt. 2. Apocal. 9.

ſe

ſe charitati & concordiæ, ſingulariterq; eorum delectatur Perſecutione atq; exitio.

Dictum eſt poſtremò, Sagas plerumq; in uſu maleficiorũ ſuorum obſervare certas quaſdã præſtigias vel diras ſaltem imprecationes & vota. Quia enim Sathan in ijs agit, ut ſuã inexplebilem ἐπιχαιροκακίαν per eas exerceat, noritq; non minus delectari illas hominũ damno, quã ſeipſum, non ſolùm in officio retinet ejuſmodi ceremoniarum tanquam infernalium Sacramentorum uſu, ſed mirificè etiam auget & confirmat earum perfidiã, malitioſos conatus & improbitatis ſtudia, dum putant ſe illis aliquid infortunij excudiſſe. Non ſemper autem eadem adhibet, ſed prout cauſæ ſuæ conducere arbitratur, aliis alia præſcribit, Neq; etiam in omnibus res æquè fœliciter ei ſuccedit. Nam ut ſemper fallere ſtudet, ſic fallitur etiam nonnunquam: Nimirum Deo ipſius conatus impediente: Sicut tunc quoq; operam ludunt Sagæ, in molitione nefaria ſuorum ſcelerum. Mille igitur artifex diverſas tentat vias, ut fidem ſuam & promiſſa ſervare videatur, & ut Sagæ arte ſua ne fru-

8. Saga utũtur præſtigiis & diris voiis.

ſtrentur. Non enim ſemper mentiri, ſed ſemper tamen nocere cupit. Breviter præſtigiator Sathan omnia ſua facinora præſtigiis tegit & ornat: idemque ſuas diſcipulas & miniſtras Sagas facere docet. Vt appoſitè admodùm, De præſtigiis dæmonum libros ſuos, quibus de Sagis agitur, inſcripſerit Johan. VVierus, Medicus doctrina & uſu excellentiſsimus. Quod ſi quando autem præſtigiis tempus & locus non ſint, non deſunt ſaltem diriſsima vota vel verbis prolata, vel tacitis cogitationibus concepta. Quæ etſi ad rem nihil faciunt (affectus enim in illis tantum agunt, in quibus ſunt) declarant tamen malitiæ Sagarum magnitudinem, & vim Sathanæ in illis operantē.

Atque hæc hucuſque de prima hujus cenſuræ parte, quæ explicatione deſcriptionis Sagarum ferè conſumpta eſt, & naturā vires, facta ſtudiaq́ earum mediocriter declinavit: qua expedita, ſequitur nunc, ut de ſecunda, id eſt, de Indiciis & Signis ſeu Teſtimoniis, quibus agnoſcendæ, & reæ probandæ ſint, aliquid quoq́ dicamus, ut de pœnis, quæ in Tertia tractabuntur, tantò certius agatur.

Axio-

Axiomata seu Aphorismi

Primæ partis.

Diversæ sunt opiniones de Sagis.

Diversitas opinionum parit difficultatem & obscuritatem.

Propter nominum promiscuam usurpationem, non debet fieri confusio rerum.

Vitia inter se cognata sunt, sicut & virtutes: neutra tamen confundenda.

Sagæ sunt homines pristina forma, nihilq; substantiale & naturale in ijs mutatum est: & retinent etiam quasdam storgas physicas.

Neq; peccatum, neq; justitia substantia vel essentia sunt in homine.

Peccatum non tollitur exorcismo, sicut nec morbi corporis verbis.

Sagæ nihil possunt supra naturæ suæ vires, sicut neq; Diabolus, sed habent utrig; potestatem limitatam, quam Deus cõercet prout illi placet.

Diabolus nihil potest creare, sed quod creatum est, tantùm destruere, quousq; ei à Deo permittitur.

Diabolus est hostis Dei, talesq; cupit esse

omnes quos seducit peccatores quanq; non omnes æqualiter à Deo avertere potest.

Nec Diabolus nec Sagæ possunt vera miracula facere: Nam hoc solius Dei est, sicut & omnipotentē, & καρδιογνωστὴν esse.

Diabolus est præstigiator, & summus præstigiatorum magister, dux & princeps.

Multa videntur fieri, nobis vel effascinatis, vel aliter deceptis, quæ revera non fiunt.

Deus tam prohibuit maleficorum & magorum societate & consilio uti, quam ipsamet maleficia.

Diabolus & fallit & fallitur aliquando, neq; semper ei succedit ex sententia.

Affectus, vota, imprecationes tantùm in illis agunt, in quibus sunt: nisi Deus aliquando miraculosè aliquid fieri permittat, aut ipsus aliquid faciat.

PARS SECVNDA. QVA agitur de Indiciis & Signis Sive Testimoniis, quibus Sagæ agnoscantur & reæ convincantur.

Sig-

Signa igitur seu indicia secundum medicos sunt duplicia, Pathagnomica scilicet & diagnostica: Illis natura & actiones & vires earum constant: His ab aliis distinguuntur affinibus quibusdam maleficis: quanquam nostro seculo vix simplices Sagæ inveniantur, quin compositæ potius sunt, quæ hodie visuntur, ex pluribus generibus vitiorum, & de omnibus speciebus aliis participant. De his autem in prima parte dictum est.

Pathognomica igitur Signa sunt, quæ ex ipsa earum natura, & proprius actionibus (ut dixi) eliciuntur constantq́: Vt quod se à Cacodæmone seduci sinant, Deum abnegent blasphementq́ & Diabolo sese ad peccata varia & gravissima committenda emancipẽt: Ejusmodi igitur si quæ cognoscuntur esse, sat certum est, Sagarij criminis reas existere.

Quando verò certò non constat num tales sint, & suspectæ tamen habentur, aliis notis & testimoniis opus est, quæ civiliter adhiberi & observari solent, non tantum ab iis qui accusant, sed magis etiam ab

illis, qui iudicant & puniunt. Atque hæc sunt non unius generis, sed aut ipsarum met Confessione, aut testimoniis aliorum, aut vulgi Rumore eduntur, vel propriis & manifestis actis, vel tormentis, vel denique singularibus quibusdam experimentis constant. Et quia dissimilia de his sunt judicia, ego breviter de singulis aliquid dicam non animo præscribendi aliquid quasi legislator politicis (ad quos propriè hæc pertinet) sed ut fieri solet in difficilibus, magnique momenti rebus, in medium consulendi. Semper enim mihi placuit illius Homerici principis judicium, qui urgente necessitate etiam à iuvenibus data consilia non esse repudianda dixit. Et reverendi senis nostri Hippocratis, qui ait minimè indecorum esse, cum rei alicujus singularis premit difficultas, aliorum quoque auxilia consiliaque quærere. Nam eo statu (ait) multa subterfugiunt etiam prudentes, quæ alius quispiam forsan opportunè suggerat.

Not.

Primùm igitur, quod ad proprias confessiones attinet, sunt illæ quidem in omnibus iudiciis maximi momenti, & citra quas

vix

vix unquam lethalis ferri ſolet Sententia: Sed tamen videndum etiam atq; etiam, quales illæ ſint, ſponteae editæ, an vel dolo, vel vi expreſſæ. Item quales ſint, qui edunt, an errore aut inſania delirioq; aliquo forte teneantur, atq; ita hallucinentur. Vix enim credibile eſt & omninò auditu rarum, qui capitaliter accuſantur & ſperant factum ſuum latere poſſe, ſiquidem mente conſtant, aut error non interveniat, ſponte crimen ſuum faʒeri. Quid igitur, an errant de factis ſuis Sagæ? Fortaſſe fieri potest aliquando ut errent, nempe cùm adeò à Sathana occupantur & quaſi obſidentur (ſunt enim & ipſæ vel maximè à Sathana effaſcinatæ) ut quid effutiant, non cogitent. An verò inſanæ & deliræ ſunt? Ne hoc quidem negaverim quibuſdam illarum per intervalla evenire, nempe dum vel ecſtaſi, vel veterno profundoq; ſomno deluſæ à Sathana & debilitata mente prorſus abſurda falſiſſimaq; referre deprehenduntur, quibus non temerè credi, neq; tutò ſtari queat. Sicut qui faſcinatos habent oculos, non poſſunt de ijs, quæ vident, verè iudicare, quicquid ſe fatean-

ff. de reg. Iur L. ut quæ raro.

Card de var rerũ 15. Cap. 8.

tuantur vidisse. Dixi autem per intervalla delirare. Non enim hoc illis perpetuum est, neq; de omnibus dici potest. Quædam enim illarum rem domesticam administrãt, liberos educant, alunt familiam, colunt agros, mercaturam vel artificium mechanicum exercent, imò si fas est dicere, Ecclesiam vel Remp. regunt, & quidem in his fastigium occupant: ut de non paucis Romanis Papis, & plerisq; principibus ethnicis ne dicam & Christianis, constat ex historiis. Sed hæc jam ad primam partem spectare videbuntur, quare ad rem revertamur.

Prædictis Signis sunt quoquo modo cognata testimonia aliorum hominum & Rumores vulgi: Quorum ut hi quidem leviora plerumque indicia præbent, quibus haud temerè credendum est: Ita illis non temerè
,, fides abroganda, si tamen satis fuerint qua-
,, lificati, qui ferunt, id est, ad testificandum
,, habiles, de quibus politici consulendi. Monet autem sapiens, ut discamus ἀπιστεῖν, hoc est, non fidere, videlicet quibusvis. Et poëta inquit, nec citò nec facilis mortali crede cuiquam. Et Ignatius, τάχα πιστεύων κῷ-

Exod. 20. Matth 18.

φός

φὸς ἐστι καρδία, *id est, qui facile credit, levis est mente.*

Qua igitur æquitate ferendum, aut contra pietatem non esse putemus, quod idem ille (quem ante dixi) epistolæ scriptor, recenset, & quasi probare videtur, Solum testimoniis trium ejusmodi Sagarum, quæ etiam mortis supplicio affectæ sint, mox tres alias accusatas, comprehensas, in certoq; experimento (nempe injectioni in aquas) aliquot millenis hominibus spectantibus, in quadã celebri civitate expositas, atq; ita publicè diffamatas fuisse? An ergo taliũ tantarumq; maleficarum confessio in causis capitalibus eousq; valere debet, ut aliæ ne suspectæ quidem autea, tantæ miseriæ (quam honestæ mulieres ipsa morte ægrius ferant) jure subiici possint? Tantarum (inquam) maleficarum, quæ novo illi scriptori vix homines esse, sed priori forma, interna scilicet (externam enim si negaret, ne sibi quidem internam superesse convinceretur) abolita, tantum non cacodæmones evasisse creduntur? Quis verò harum testimoniis, quæ quasi furiosæ sunt: vel illorum, qui mendaces & homi- Not.

Iohan. 8. homicidæ ab initio fuêre, tantillum fidei ad-
Zachar. 3 hibebit? Iurisconsulti non temerè quosuis ad
Eph 6. ferenda testimonia, præsertim in criminalibus admittunt, nominatim autem excludunt infames & hostes. Quis autem magis infamis quam Sagæ? quis gravior humani generis hostis, quam Diabolus, cujus essentiã participasse Sagas (ille quem dixi) affirmat? Ergo minimè standum erat illarum Confessionibus, & testimoniis, in accusatione hominum, quorum illi omnes jurati sunt hostes, & nihil nisi exitium quærunt. Quam autem periculosum sit eiusmodi fidere, etsi plurimis argumentis simul & Historiis queam probare: tamen unicum saltem hoc loco commemorabo, quod ante paucos annos in urbe Vehrda, Clausio ab Eppen præfecto, contigit. Captivas hic habuit duas mulieres Sagariæ artis accusatas, quas postquam legitima Iuris forma observata mortis condem-
Historia. natas igne exussisset, ipsa quoq; quæ aliarum accusatrix fuerat, in suspicionem venit præfecto: capta ergo & hæc, atq; ut moris est, explorata, confessa fuit, non illas priores, sed seipsam ream esse, Quare & iustè mortis sup-

ſupplicio affecta eſt. Hæc de teſtimoniis aliorum.

Nunc verò de vitæ conſuetudine & actis Sagarum, quæ in omnium oculos ſenſusq́ incurrunt, tribus verbis dicendum. Non levia quidem illa jndicia præbent reatus, ſed tamen & hæc ejuſmodi eſſe debent, ut non vana, non aliena, non denigꝫ præſtigioſa, ſed vera, propria & certa judicari poſſint. Nam alioqui non minus delirantium erunt, quam Spontaneæ illæ in propriam pernitiem Sagarum Confeſſiones, de quibus diximus.

Sequuntur ſigna indiciaq́ tormentis expreſſa. Hæc autem tormenta ut ſunt aliquando neceſſaria, & Iuri ſcripto probantur: ita prudenter adhibenda, ne immoderatis & nimium exquiſitis, vita ipſa unà cum confeſſione (ut contigiſſe aliquoties memini, ſummo cum judicum lictorumꝫ probro) exprimatur extorqueaturq́. Sunt enim quæ vel leviſſimas torturas non ferant, & quidvis fateantur potius, quam hanc immanem lanienam & horrendam Carnificinam ſuſtineãt. Sunt rurſus quæ quaſlibet perferant, & Quæſtiones per tormenta.

& nihil confiteantur, etiamsi norint omnibus sua maleficia nota esse, & ipsi sibi objecti criminis optimè conscij sint. Quid igitur hisce instrumentis in eusmodi efficies, ut certam culpam expiscère? Quamobrem longè consultius fuerit, Labeonis illius jurisconsulti legem sequi, ut quæstiones eiusmodi adhibeantur, non ad indagandum principale factum, sed tantum ad cognoscendas circumstantias, & alia quædam præter intentatum crimen, cum de hoc constiterit prius. Notum est jurisperitis, in criminalibus probationes clariores esse debere ipso sole meridiano, quales profectò torturæ minime possunt efficere. Quod diligenter animadvertere debebant, qui judiciis præsunt ne ipsi culpabiles se reddant coram Deo, qui vindex est omnis injustitiæ, omniumq; processuum tyrannicorum, & suum esse judicium ait, Sanguinemq; innocentum de manibus judicum se requisiturum minatur.

Decret. de reg Iur. L in ipso caussæ initio.

Esai. 23. Prover. 8. Leuit. 24.

Huc quoq; merito pertinere videntur, diabolica illa & horrenda quibusdam in locis Tulliana, quasi Sathanæ domicilia, puta carcer, qui etsi custodia solum, non supplici-

um

um esse debuit, ita tamen alicubi instructus est, adeoq; intolerabilis, ut supplicij loco esse possit: aut talis (sic me Deus amet) ut tormenti cuiusuis vicem suppleat, ac ut mori malint quidam, quam diutius illum sustinere: Qualis & prophetæ Hieremiæ contigit, & paritter de eo conqueriter. Ergo hæc quoquo modo ad tertiam partem spectare videri possunt. Prosequamur igitur quod superest de Signis. Hierem. cap. 38.

Restant nunc ea Indicia, quæ peculiaribus constant experimentis, de quibus meritò dici potest illa Hippocratica non Iuris, sed naturæ Regula, experimentum periculosum. Quæ igitur hæc sunt? Varia omninò, & quisq; ferè lictor sua propria habet: Sed ego pauca solum recitabo, quæ potius contemnenda, quam sequenda duco, etsi quibusdam credulis admodum videantur verisimilia, & rationi non incongrua. Quidam enim ex gestu, ingressu & vultu se Sagas agnoscere posse jactitant: quos profectò plus quã Lynceos oculos habere oportet, aut peccata animi in superficie corporis hærere, ut colores flavos vel nigros in ictericis, existimandũ Vid. Mal maleffic.

fuerit. Sagarum autem crimen non est Corporis, sed animi vitium. Et Deus Solus est καρδιογνώστης, qui scrutatur renes & corda, & videt novitq; Singulorũ cogitata. Quapropter qui hæc sibi persuadent, eos quoq; aliquomodo à Sathana doctos aut infatuatos crediderim. Nulla enim hujus notitiæ demonstratio afferri potest.

Exod. 3. Deut. 31 Matth. 6.

Credibilius igitur illud, si vera est historia, quã narrat Philarchus, quod de Ponto insula refertur, Esse videlicet ibidem genus quoddã Thibiorum, qui imaginem equinã in altero oculo habeant, in altero geminã pupillã, atq; hæc certa esse apud illos indicia infamis magiæ. Siquid autem ejusmodi quoq; notarũ in Corporibus Sagarũ animadvertere se dicerent isti priores Lamiognostæ, facilius fidem apud me invenirent. Vtrum tamen hæc quoq; ludibrio Sathanæ aliquando apud ponticolas fiant, cûm sint gens ignara Dei & athei, non attinet hîc disputare.

Plin. aat. hist. 2. Cap. 2.

Ex oculis

Plerisq; in locis adhibentur divinatores & exorcistæ quidam (scilicet ut dæmonẽ per Beelzebub eïciant) homines Sagis affines & plurimũ Ecclesiastæ, qui creduntur tam male-

Divinatores sive exorcistæ.

maleficas, quã maleficiatos, id est, à Sagis afflictos tanquã digito demonstrare posse. Quibus namverò modis? Post certas ceremonias cumprofanis precationibus celebratas, si quæ ingreditur (ajunt) saccum, vel aliud quippiam rerum gestans, & præterea aliquid petens, ecce illa est, apprehendite, tenete, pulsate eam. Atq; hi interdum quoq; in speculo ostentant imagines Sagarum vel similium maleficorum. Hem, Christi Ecclesiæq; ministri quid facitis? Nemo prudens & pius illa (puto) velit probare, quum hæc imago non existat vi naturæ humanæ, neq; operatione Spiritus Sancti, sed fallaci artificio doctoris Sathanæ, qui ejusmodi panurgus ab initio fuit, assiduéq; : has suas artes hominibus proponit, commendat, obtrudit & inculcat.

Alibi quas explorare tormentis volunt, prius pilos ab omni corporis parte abradunt, ac si in istis non minus quam Samsoni suum robur, ars Sagarum consisteret, atque hac depilatione illæ innotescerent, si torturæ simul adhibeantur? Sed hauc doctrinã hausisse dicuntur à carnificibus, hominibus ma- lor ex parte

ori ex parte maleferiatis, quibus parum fidei debetur, quippè qui ex hominum ſupplicijs quæſtum (prò infœlix præmium!) aucupantur.

Iidem (ut narrant homines fide digni) Stigmata quædã obſervare ſe dicunt, quæ Diabolus Sagis impreſſerit poſt aures, ſed nemini apparere, quam ſibi. O multiplicem & impudentem fraudem! Maiores noſtri credebant fronti Sagarũ Chriſma, quo in Baptiſmo Signari ſolent infantes, à Sathana eximi, atq; ita relinqui quandam cicatricem, certam culpæ notam. Nunc quia obſolevit Chriſma, poſt aures latere ajunt ejuſmodi Signacula veterator Sathan, & mendax ejus diſcipulus Lictor. Cur enim, ſi vera eſſent ſtigmata, non cerenrentur etiam ab aliis? Niſi nobis oculos faſcino obduci, carnifici minimẽ, putandum eſt: Sin falſa ſunt, ut eſt credibilius, magis carnifex, quam nos à Sathana decipitur, & faſcinatur. Quare nihil fidei tribuendum hiſce impoſturis, & ἀσήμοις σημείοις, neq; in judiciis legitimis ullo modo locum habere debent talia.

Superest unum adhuc indicium recens reper-

repertum, Sed nunc quoq; paſsim uſitatum, examen videlicet per trinam (nota religionis myſterium) injectionem in aquas, quod & purgationem per aquas aliqui nominãt: fortè quod purgare & abſolvere inſontrs credatur. Si enim ſubſidant quæ ſuſpectæ ſunt, minimè culpabiles maleſiciÿ putantur: Sin innatent, reas eſſe volunt. Superſtitioſum certè inventum, & haud ſcio an non ab ÿſdem magiſtris, quos modò dixi, hoc eſt, Sathana & credulis ejus auditoribus carnificibus invectum, & Rebus Pub. quibuſdam, quaſi rationi naturali conſentaneum eſſet, primò commendatum. Ac ſcire velim, utrum mox ſuſpicione liberæ abſoluantur, quæ ſubſidunt, an non? Si enim non abſoluuntur, falſam probam eſſe, ipſos qui utuntur, fateri oportet: Item, utrum certò, & infallibiliter reas judicãt, quæ nõ ſubſidunt. Nam ſi non ita credunt, rurſus oſtendunt incertum eſſe experimentum ſuum. Atqui certò reas nondum haberi, etiamſi ſubſidant, demonſtrant ipſa re, dum aliis inſuper indiciis utuntnr, neq;, quod ipſimet teſtantur, ullas propter unam hanc notam condem-

Purgatio Sagarum per aquas.

nent. Quid est igitur hoc insolens factum, quã merum ludibriũ Sathanæ, & tragœdiæ periculosæ & scandalosæ initiũ? De quo quidam joculans, & tales examinatores risu excipiens dixit, illos cocquorum consuetudinem sequi: Nam ut hi capones, quos in cibum apparant, prius aqua macerare & abluere solent, postea torrere, sic istos Molocho sua quoq; fercula & holocausta instruere. Atqui, aiunt, primarij & eruditi viri quidam hoc experimentum non improbant, imò autoritate sua, & ratione physica confirmant.

Aristotelis in fine 3 polit.

Respondeo, non autoritas, sed lex in iudicijs valere debet. Quod autem de ratione Physica dicitur, id examinandum est. Potest fieri, inquit epistola autor, cujus memini jam sæpius, ut Spiritualis quædam levitas à Diabolo, qui in Sagarum corporibus residet, in eas transfusa, longè seipsis leviores reddat Sagas (Quamvis id à nobis non deprehendatur) atq; ita fundum petere prohibeat. aut ut Diabolus, qui per totam illarum essentiam, essentiæq; partes singulas substantialiter est diffusus, cognata Spiritus natura (malum enim genij natura planè levis, Spiritualis, Ethereа sive aëria, & ad omnem locum sublunarem celerrimè permeabilis est) Sursum attrahat & in superficie aquæ sustincat. Bella sanè fabula, si

non

uon ſimul eſſet impia & periculoſa. Videntur autem, qui ſic iudicant, cogitatione & ſimilitudine Magnetis, vel ſuccini decipi, quorum ille chalibem, hoc paleas plumulasq; ad ſe trahit & pauliſper retinet. Verum omiſſis jocis reſpondendum eſt ſeriò.

De transfuſa igitur, & ſubſtantialiter inhærente levitate, propter ablatam interiorem formam & novam ſubſtitutam ac aſſumptam, dixi in prima parte fabuloſum & impium figmentum eſſe. De Diabolo verò, quod ſit Spiritus, & quidem ſolertiſſimus potentiſſimusq;, nemo it inficias: Quod etiam in illis, ut in incredulorũ maximis & præcipuis, multa poſſit & agat, haud quisquam neget. Quomodo igitur fit, ut in aquis non ſubmergantur? Haud dubiè Diabolo ſupponente illis manũ, & ſua vi ſuſtinente eas, ne ſidant. Cum enim ut dictum eſt, naturam habeat Spiritualem, plurima dextrè & celeriter poteſt efficere, ad quæ creatura corporea inepta eſt. Num ſi invivis animantibus eam facultatem potentiſſimam eſſe cernimus, quæ conſiſtit in Spiritibus, etiamſi impediatur adhuc ingenti corporis mole,

Auguſt. Decre. C. ſcuendum 36 q. iiij.

Spiritus vis.

longè certè potentior est quæ hoc impedimento caret. Quid enim aliud est, quod immania monstra cœte marina dicta, tam facile movet, quàm Spiritus, id est, anima illorum? Quæ vis alia gravissima elephantûm corpora impellit, ut etiã cursus celeritate multa leviora & ad motum aptiora animalia, antecellãt, quàm quæ in illis est tenuissima & leviſsima, id est, Spiritus? Vel ipse ventus, qui est Spiritui quodammodo cognatus, ſubtiliſsima terræ vel aquæ exhalatio, tam est efficax, ut domos, turres, arces, urbes, Scopulos, montes. mare denique universum possit commovere, diruere & funditus euertere.

Quæ cum ita ſe habeant, multò magis Spiritus ille aërius, vel potius infernalis, qui Sathan dicitur, prius Lucifer, postea Pater tenebrarum, ob ſuperbiam & virium ſuarum abuſum factus, multò (inquam) magis hæc omnia & his etiam maiora efficere valet, ſi Deus illum non coerceat. In multis autem non coërcet, ſed ſinit illum libertate & poteſtate ſua uti, ſicut & aliis quibuſdam Tyrannis & homini infeſtis beſtiis habenas interdum laxat, ut nos affligant,

Eſai. 38.

N Inc. remit 32. q. V.

in-

iudicio ſuo nobis quidem ignoto, ſed ſemper tamen juſto, nempe quod vel ſic meritiſimus, vel ut nos ad pœnitentiam revocet, & fidem in nobis exerceat, vel ut gloriam ſuam devictis ſuis hoſtibus aſſerat & amplificet, Eccleſiæ verò ſuæ ſingularem ſuam curam, fidelitatem & benevolentiam declaret. Hæc autem cùm Deus pro ſua ſapientia non facit, ſed ad Diaboli ſtudia factaq; connivet, quam facile ei ſit (ut redeam ad rem noſtram) mancipia illa ſua (puta Sagas) per aërem, per aquas, per ſaxa, per ignes ferre, & cavere ne vel deorſum ruant, vel ne ſubmergantur, vel aliâs offendantur (quamdiu ſibi ita conducere videtur) quivis facile intelligit: ut non opus ſit, novas & inauditas περατολογίας & paradoxa, quibus nonnulli nimium tribuunt & delectantur, excogitare, atq; credulis hominibus indoctisq; magiſtratibus tanquam veriſimilia, & rationi Phyſicæ (potius metaphyſicæ dicendum eſſet, quando propter Spiritus cognationem cum Sathana fieri putatur) conſentanea commendare, & quaſi venundare: ne vel nihil ignorare videantur, Eſai. 25.

vel ut ingenioſi habeantur. Quid eſt autem frigidam ſuffundere, ſi hoc non eſt? Et rurſus, quid eſt oleum camino addere, quod mox ſequitur probatio per ignem, Si hoc non eſt? Nam dum hæc etiam aliis, quæ Sagæ non ſunt, imò pijs quoq; aliquãdo, imò ipſi Chriſto accidèrunt, ut ſic â Sathana huc atq; illuc ferrentur, ex unoq; loco in alium celeriter ſi ſterentur; quibus tamen haudquaquam interior forma mutata ablatave fuit, quid mirum, ſi Sagis talia contingant?

Quæ cum ita ſint, rectius creditur, non in ipſis Sagarum corporibus aliquid immutari, quod ſubſtantiale eſt, ſed vi & potentia Diaboli tanquam Sp. efficaciſſimi & promptiſſimi fieri, ut aquis innatent, vel per aërem ferantur: Et quia, ut dictum eſt, aliis præter Sagas tam maleficis quam innocentibus eiuſmodi æquè accidere queant, haud juſtum eſt, tam incertæ & irrationabili καὶ ὑπερφοσικῇ experientiæ (quam iſti præter naturam vocant, cujus ſanè naturalis ratio dari non poteſt) fidem adhibere, & ſe magis magisq; Diabolo deridendum (eſt enim merum Sathanæ ludibrium) præbere, Nam qui

Matth. 5.

ſic

ſic ratiocinantur, innatant aquis, ergo immutata vel ſublata eſt interior forma, & Sagæ ſunt, longe falluntur illi quidem & in elenchum incidunt, non cauſæ, qui eruditis, & eruditionis nomine laudem quærentibus ſanè quam turpis & probroſus eſt.

Nec quicquam etiam valet hæc conſequentia, humano conſilio inventa eſt hæc conſuetudo, ergo non caret certis cauſis & argumentis. Hac enim ratione omnes ſimul errores, omnes ſuperſtitiones, omnes deniq; hæreſes in Repub. Chriſtiana quis defenderit.

Neq; etiam ſufficit dicere, quod Plato ſcriptum reliquit, maiorum, ſcilicet orationi credendũ, etiamſi ratio non addatur: Hoc enim nõ tribui poteſt niſi illis, quos conſtat ex Spiritu Dei locutos eſſe: quales ſoli habent & agnoſcunt Chriſtiani, Moyſen, Prophetas & Apoſtolos.

Minimè quoq; probandum eſt, quod aiunt, ſi non eſt certa ratio, tamen poteſt eſſe probabilis, cui mens humana tutò poſſit acquieſcere. Nam in hac cauſa, qua de honore, vita & morte agitur, meritò nunquam ſatis ἐπέχειν poſſumus: præſertim verò magiſtra-

ff de regul Iur. L. Quod initio. & L. quod contra rationem.

Maiorum vt plurium oratio

N.

giſtratus, qui ad ferendam ſententiam & pœnam ſceleribus decernendam à Deo conſtitutus eſt, non debet qualibet probabilitate, imò ne longa quidem conſuetudine contentus eſſe, ut ad executionem properet. Nam in criminalibus jura probationes firmiſſimas & clariſſimas requirunt. Conſuetudo autem ſi mala eſt, erroris vetuſtas & Tyrannis ſolet appellari. Bona verò & laudabilis habet initium à veritate, ratione & juſtitia, quorum fundamenta ſita ſunt vel in Philoſophia, vel in Iurisprudentia, vel in Theologia. Quod ſi quid his tribus manifeſto & verè probari non poteſt, merito irritum & impium haberi debet. Non dico autem totidem verbis in illis comprehenſum expreſſumq; eſſe oportere (non enim tam ſtolidè ratiocinamur: purgatio Sagarum per aquam frigidam in Sacris literis non traditur neq; præcipitur, ergo non admittenda) ſed ex fundamentis (inquam) illorum petendum, demonſtrandumq; eſſe affirmo. Cum igitur ejuſmodi ἀποδείξει firmaq; ratione careat illa admirabilis abominabilisq; Sagarum baptizatio, certum eſt à D. Sathana,

Conſuetudo.

mala

Bona

vel

vel per illum inſtructos Carnifices, vel aſſeclas & miuiſtros ejus ſuperſtitioſos idololatras, & horum affines Pſeudochriſtianos profanosq; Philoſophos, vel denig; per religioſos divinatores inventam & introductam eſſe: Quibus omnibus nullo modo credendum eſt, ſed certiora ſolidioraq; argumenta quærenda, cum Iudicandæ puniendæq; ſunt Sagæ, nempe quæ in propria, ſana & conſtanti confeſſione earum: item vitæ conſuetudine, actionibus naturæ notis & convenientibus, demum religionis profeſſione conſiſtunt, ex ijſq; ſumuntur, legitimeq; producuntur. Not.

Et ſic pars quoque Secunda mihi expedita ſit: In qua, ut & in reliquis, ſi cui forte prolixius videbor refutaſſe errores & abuſus, quam veritatem aſſerviſſe, cogitandum eſt ei, veritatem tunc etiam aſtructã eſſe, cum errores indicati & ſublati ſunt. Veritatis enim ſimplex oratio eſt, imò, ut AEſchylus dixit, πρὸς τ' αληθὲς τρία ἔπη διαρκῆ id eſt, veritati tria ſufficiunt verba. At (ut Tertullian. ait) τὸ ψευδὲς πολύμορφον. hoc eſt, falſitas multiplex eſt. Κακὸν enim,

hoc

hoc est, malum, in quo numerantur quoq; errores & mendacia) τῦ ἀπείρυ, id est, habet rationem infiniti, ut inquit Aristoteles.

Axiomata seu Aphorismi Secundæ partis.

Sagarum crimen non est simplex, sed ex multis vitiis compositum.

In rebus difficilibus aliorum quoq; auxilium expetere, & consilia eorum audire, non est inhonestum.

Confessiones spontaneæ & liberæ, si non accedat error, aut dolus, efficacissimæ sunt.

Sagæ aliquot sunt per intervalla deliræ, & qnasi melancholicæ. Nam à Sathana ipsæ quoq; vel maximè effascinantur.

Rumores vulgi testimonia non præbent certa.

Sicut neq; tormenta, neq; improborum Confessiones ad testificãdum sufficiunt.

Diabolus est plerunq; mendax, & semper hostis generis humani, proinde inidoneus testis : Sicut & Sagæ illius ancillares & assectæ.

Tormentorum vel eculeorum usus tum esse

esse debet, quando constat de præcipuo crimine, non antea.

Carcer vel custodia nō debet esse pœnā.

Experimenta vulgo usitata, periculosā & fallacia sunt in causa Sagarum.

Examen & purgatio Sagarum per aquam frigidam, est ludibrium Sathanæ, carens omni fundamanto veritatis,

Diabolus est spiritus potens & solers.

Spiritus est in rebus omnibus res efficacissima & potentissimā.

Deus quando relaxat habenas hostibus suis & nostris facit, id certis de causis: nempe ut vel fidem nostrā probet & exerceat, vel potentiam suam declaret aduarsarijs & gloriam suam asserat augeatq; vel ut benevoleutiam suam Ecclesiæ demonstret & promissionem ei ratam faciat.

Consuetudo mala est tyrannis & erroris vetustas: sicut bona est rationi & legi consentanea.

PARS TERTIA
De pœnis Sagarum.

Res

Restat nunc pars postrema, in qua de pœnis Sagarum agendum, & quid ex jure æquitateq; de his dici possit, videndum. Vbi iterum veniam mihi petendam sentio cùm ab omnibus melius sentientibus, tùm præcipuè à jurisperitis & magistratibus, quorum tanquam justitiæ Sacerdotum, officium est, non modò jus suum unicuiq; tribuere, sed singulis etiam delictis pœnam debitam statuere: Sicut medicorum est, Salutem & valetudinem hominis curare. Quod equidem fateor esse verum, sed dum innocentia defenditur, etiam saluti consuli, nemo inficiabitur: sicut dum id quod lædit corpus, removetur, valetudini.

An igitur puniri Sagas liceat, vix quenquam puto dubitare, qui peccatum summum esse credit, à Deo deficere, illiq; mille modis maledicere, & alios homines ad similem impietatem adhortari instigareq;. Sed quemadmodum ex Hippocrate dictum est antè, ἡ πεῖρα σφαγερὴ, id est, experimentum periculosum: ita multò justius hîc dici potest ex eodem, ἡ κρίσις χαλεπὴ, hoc est, judicium difficile esse. Vtrum verò ex

1. Aph. 1.

lege

Lege Moysis, cujus temporibus tales, quales hodie reperiuntur, fortè non fuisse ab aliquibus dubitatur, puniendæ sint, existimo non esse anxiè quærendum. Nam quid Moyses, cujus politia ad nos non pertinet, hac in parte fecerit, parum nostra refert: Cùm veteris Testamenti leges, quoad ceremonias & politiam, nos non obligent, qui tantum mores & religionem earum recipimus (quæ ceremoniarum & politia sunt tanquam anima) non ipsas ceremonias aut politiæ formas. Punit Moyses quosdam, quos nos impunitos relinquimus, etsi meritò punire possemus & deberemus, ut adulteros, incestuosos, præstigiatores, incantatores, blasphemos, malitiosos hæreticos, nefarios quacunq; in re impostores & fœneratores. Punit etiam Moyses aliter quam nos hoc seculo. In genere tamen quando Deus approbat Magistratum, illisq; gladium in manus dat, haud dubiè vult malefacientes puniri & insontes defendi, illisq; terrori, his honori esse. Interest enim Reip. utrumq; tùm ut delicta puniantur, tum ut asserantur innocentes, & justè tranquilleq; viventes.

Deut. 22. 18. Johan. 6. Levit. 6. Matth. 1.

Thomas. Eras. disp. de Lam.

Etsi igitur sententiæ hîc variant, ut & in prioribus capitibus, potior tamen pars, qualescunq; æstimentur & seu veteribus cognitæ, seu posterioribus tantùm temporibus natæ sint, Sagas nostras aliquam pœnã mereri censent: non omnes tamen eandem. Matth. 7. *Nunquam enim humanitatis oblivisci-dum, nusquam temerè agendum. Magna pars vulgi (utinam non & primatûm!) ob id infensiores sunt Sagis, quàm aliis quibusdam maleficis, (qui simili tamen in odio sunt apud Deum) quod plus mali sibi ab illis metuant, gravioraq; de illis facta narrentur. Habent enim hanc persuasionem, quanto magis eas oderint, quanto durius alloquantur & tractent, tantò minus periculi ab illis sibi fore. Propterea q; putant rarò inveniri carnifices, vel carceris ministros, vel justitiæ præfectos, quibus possint arte sua nocere, quòd his remediis, ferociæ scilicet & malevolentiæ, non minus quàm medici adversus luẽ pestiferam antidotis, muniti & tuti sint. En quo homines seducit falsa persuasio. & error plus quam barbarus. Itaq; terrentur illarum vultu non minus*

quam

quam Gorgonis capite, aut ſpectris, aut lemuribus, aut etiam ipſius Cacodæmonis aſpectu) Regnat, enim, in humanis vafer & crudelis Abaddon cordibus, & vario concutit illa metu) Cùm ſint tamen iſtiuſmodi terriculamenta ex fictitia Sagarum multipotentia, & ex ignoratione profecta. Nihil autem meritò nos terrere debebat, quam id quod nos à Deo ſæparat, hoc eſt, peccatum, & â peccato mala conſcientia. Quæ duo vereor, illis, quos dixi, maximè metũ terroremq; incutere: Cæteris hoc Horatij occinendum:

Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas,
Nocturnos Lemures, portentaq; Theſſala rifu
Excipio, &.

Videmus equidem eos, quos dixi, juſtitiæ miniſtros rarò à Sagis lædi: Cujus cauſam doctiſſ. vir quidam hanc eſſe putat, quòd in nexu neq; ſe ipſas juvare, neq; aliis nocere poſſint: quia careant ſuis pharmacis, & illic ea præparare, aut cum dæmonibus conſilia capere non auſint, ne ſeipſas prodant, Sunt enim natura valde meticulosæ: Verùm leviores hæ cauſæ, & incertæ videntur eſſe. Pharmacis enim illis, & iſto ritu

apparatis parum virium tribui potest. Cum Sathana verò consultare nocte diuq; quis prohibeat, cum illud vel sola cogitatione, & Spiritualiter cum Spiritu facere liceat? Quare probabilius est, vel Magistratus tanquã Dei ministros illo tempore singulariter à Deo defendi, ut Sagæ & Sathan nihil mali illis queant afferre: Vel Deum jam pœnam à maleficis per magistratus officium requirere: Vel etiam Sathanam illis suum auxilium tunc subtrahere: quippè quarum exitio delectetur, quod exitium tanquam minervale & præmium suæ cum Sagis pactionis & liberalis disciplinæ avidè expectat. Sed hæc obiter dicta sunto: redeo ad puniendi rationes.

Dixi puniri posse & debere Sagas, sed intelligo de his quæ sunt verè culpabiles, manifestò reæ, & legitimè convictæ. Puniendæ (inquam) sunt, sed pro ratione delicti, ætatis, diuturnitatis, aliarumq; circumstantiarum. Quousq; autem extendendæ pœnæ, hoc pius & prudens magistratus facile discernet, hac, quæ sequitur, ratione:

Pueris qui quid agant, non intelligunt:

Item

Item annosis & præsenectæ repueraſcentibus: qui ambo his quoq; offuciis Sathanicis aliquando involuuntur, ſicut & in aliis peccatis ſit, ignoſcendum videtur, & quousq; poteſt fieri, & doctrinæ capaces ſunt, rectius inſtituendi. Eccleſ. 7. Cod. lib. 9.

Aliquæ ſpem prebent pœnitentiæ, & inventæ ſunt, quæ adeò ſe emendârint, ut poſteà multos annos inculpatè vixerint & piè mortuæ ſint: cum his ad mortis uſq; ſupplicia procedendum non putarim: Etſi enim lex dicat præſtigiatricem non ſines vivere: tamen Evangelium nos miſericordes eſſe vult, ſicut Pater cœleſtis miſericors eſt, & recipit pœnitentes in gratiam: hancq; ipſius laudem in cœlo cani affirmat Apoſtolus. Quod non ſolùm de privatis injuriis condonandis, ſed etiam de pœnis miſerorum peccatorum pro ratione circumſtantiarum per ſupremum Iudicem mitigandis Theologi quidam præcipui intelligunt. Exod. 22. Verſ. 18. Rom 8. Matth. 13.

Similiter dici poſſit de his, quæ in verbo Dei male & negligenter educatæ, nõ tamen obſtinatæ ſunt, ſed inſtitutionem admittunt: Quemadmodum cenſet Auguſtinus

Augustin ad Donat epist. 172. ad Marcellin. 158

quantumlibet pernitiosis hæreticis. Sæpe enim hæc culpa custodum oscitantiæ & malis exemplis tribuenda potius, quam miserè seductis mulierculis. Quid enim non in grege faciat lupus, si obmutescant canes, & pastores dormitent? Non potest esse excusatio pastoris (ait Gregorius) si lupus oues comedit, & pastor nescit. Horresco referens: plerisq; in locis ipsi pastores hisce artibus studeant, subditosq; in erroribus confirmant. Notum est etiam de multis Rom. pontificibus, ut diximus ante, (qui tamen sibi solis titulum Sanctitatis vendicant & dominatum in Ecclesia usurpant) Item de plerisq; viris principibus, hasce artes illos calluisse & exercuisse imò de eruditis, de vrbanis simul & rusticis quibusdam constat, impiæ magiæ addictos fuisse et etiamnũ esse, profanisq; his artibus & præstigiis nostras sagas longè antecellere & tamen passim ferri. Quare etsi inpunitas scelerum non temerè ferenda, tamen quæ hac ratione seductæ intelliguntur esse, cum his non immeritò humanius agendum: ut quod quoquo modo servari possit, servetur, non prorsus perdatur: quæ mens quo-

L. error. & L. cum post. C. De Jur. & facti ignorat.

que-

que ipsius Dei, teste scriptura, videtur esse.

Quod dixi autem de malis exemplis præpositorum, id (proh dolor) nimis manifestum est: dum quidam eorum vel præ imperitia sanam doctrinam non nôrunt, vel securitate negligunt discere: aut morum levitate, luxu & ebrietate quod docuerunt, destruunt. Qui verò hos in officio continere debebant, præsulum Ecclesiasticorum reliquorumq; magistratuum magna pars (meliores enim semper excipio) simili laborantes morbo, nihil aut parum operæ conferunt, ut vitia emendentur, ne dicam eos plurima addere disciplinæ impedimenta, dum vel fastu luxuriaq; diffluunt ipsi, vel eorum profana familia profanis moribus sumptuq; non necessario totas exhaurtunt corrumpuntq; regiones: dum venationibus et potationibus magis vacant, quàm tollendis scandalis, curandis subditis, sublevandisq; pauperibus quorum inopia (omnium doctorum judicio) non raro Sagarij criminis causa est: dum denique dissidiis propter religionem ortis non minuendis, sed augendis studeant, imò perniciosa eo nomine bella movere potius, quàm

Deut. 13. Eccles. 23. 1. Timot. 5 Prover. 19

consilio, prudentiaq; sedare satagunt, & populos, quos servare debebant, omnium calamitatum labyrinthis involuunt & funditus perdunt. Hac irreligiosa gubernandi ratione fit, ut Sathanæ omnia aperiantur adyta ad turbandam pacem, invehendum doctrinæ cœlestis neglectum, disciplinæ contemptum, morum plus quam Ethnicam dissolutionem & impietatem arrianam: ut mirum non sit etiam hoc Sagarum crimen, quo de modò agimus, non minus apud plerosq; invalescere, quam reliqua Diaboli stratagemata præsertim ubi disciplinæ nulla ratio, & syncerit as doctrinæ odio est, rectiusq; sentientes opprimuntur Abydenorum seu Medianorum arte, hoc est, calumniis (apud alios enim nequaquam tam frequens est hoc maleficij genus) & maxima teterrimaq; scãdala, difficultates, supplicia, luctus & lachrymas parere. Sed quò me abripit dolor? Dei é machina auxilio opus est, si hac gravissima mundi senecta melior status sperari debeat. Præstat ergo nos ad institutum redire, quam prolixè deflere, quod querelis nostris mutari non potest.

Dixi.

Dixi puniendas esse Sagas, & rursus quibus parcendum sit. Videamus nunc etiam quibus de causis potissimum puniri debeant. Non enim omnia illarum facta æqualem pœnam merentur. Sunt autem causæ ejusmodi plures quidē, sed ego quatuor præcipuas solū recitabo, quibus reliquæ quodāmodo includi possunt: Nempe quod vel damnum dederint aliis, vel quod illicitas & Diabolicas artes exercuerint: vel quod per Sathanæ ministerium sua scelera perregerint: vel deniq; quod Deum abnegarint, & impiam apostasiam ac blasphemam hæresin commiserint.

Decret. 26 4. 2. Tit. 3.

I. Pœnal. Iud art. 98.

Si Damnum dedisse accusentur, quærendum quibus id modis factum sit: Si enim venenosi aliquid exhibuisse putentur (quia hoc nomine ut plurimum accusari & puniri solent) videndum primò, quid consecutum sit, videlicet infirmitates quædam singulares, vel morbi, vel mors: Deinde querendū, quidnam sit quod exhibitum est. Quod si deprehensum fuerit verum venenum esse, quis dubitet pœnam secundum Iura civilia illis deberi? Sed

L. Cornel de Sicar. & Venef

ut verum fateamur, hæc maleficia propriè ad Sagas non pertinent, neq; in ijs nisi rarò, inveniuntur, sicut neq; ad hæreses propriè pertinet dolus, neq; ad furtum latrocinia.

Exodi. 22.

Sin dubitetur utrum verum venenum fuerit, certè ipsa ratio jubet hîc ἐπέχειν & subsistere iudices, donec causæ veritatem satis cognoverint: quam si suo ingenio invenire non possunt, præsertim rerum naturalium (quod professio quoq; illorum scire non cogitur) imperiti, alios interrogare, præcipuè verò artifices medicos, eos oportebit. Nam hoc in iudiciis non est inusitatum. Atsi neque hi discernere queant, tùm rectè inter occulta numeranda sunt talia, de quibus neque Ecclesia judicare solet.

ff. de statu hom. L. septimo mense.

Quod si dicatur incantationibus fortè intoxicatum fuisse, quod exhibitum est, & quod mirifica quædam damna secuta sint (est enim Sathan potens & solers Spiritus, &, quod dici solet, mille artifex, adeò ut etiam veras consequentias ex non veris præmissis nectere sciat, & Deus justo suo iudicio multa ei concedit) hæc ut negari non possunt aliquando fieri, ita cum talia sua natu-

Incantamentorũ vis.

Grìland. de fortili. 10.

Francisc. Poncintus de Lam. Vo. 10.

tu.

tura, & quoad hominum vires, sint ociosa & inefficacia, prudenter hîc quoq; agendum, & ut ibi cum medicis corporis, sic hîc cum animarum medicis, hoc est, Ecclesiæ ministris & Theologis consultandum censeo: quippè qui Sathanæ naturam & artificia optimè nôrunt. Certum est enim & Sathanam & alias Creaturas nihil quidem sine medio efficere posse, nobis tamen medium illud sæpius incognitum esse. Vnde iterum summa difficultas nascitur judicandi de eo, quod tamen indies rebus humanis accidit, & multa Dei providentiæ, exemplo Ecclesiæ (ut modò dictum est) committenda esse apparet, quæ τῷ ἀνελβοδικαίῳ & summo jure (quod summa injuria vocari solet) non possunt neq; debent dirimi. Quod si enim simpliciter affectum pro effectu in hoc casu habendum pertinaciter quis defendere voluerit, præsertim si ille affectus aliquo manifesto actu sese declararit, quod juri scripto consentaneum est, videndum certè etiam atq; etiam, an actus ille conveniens & ad effectum producendum idoneus & necessarius fuerit, ne delirium potius iudicetur esse, & elenchus

Quando affectus pro effectu habendus sit. C. ad Leg. Corn. de Sic L. is qui Itē. ff. de rer. & verb. Sig. L fugitivus.

Instit de pub. Jud. § Item Lex Cor.

chus committatur accidentis, vel non causa ut causæ. Neq; enim ad quemvis actū quævis sequitur effectio: Sicut neq; ad quamvis Solis aut Lunæ Ecclypsin, vel ad quemlibet astrorum aspectum, quæcunq; effecta: neq; ea ipse affecta quæ illis ab Astrologis ascribi solent, quanquam secuta sunt, propria semper effecta eorum verè dici possunt. Notum est multos idiotas Iudiciis præsidere, qui tantū ejusmodi elenchis instructi, nihilominus confidentes sint in ferendis sententiis. Quidam etiam se non patiuntur doceri, qui profectò multorum causam suam faciunt, si non coram hominibus, saltem coram Deo. At hi meminisse debebant, non hominum, sed Dei judicium se administrare, & Dei ministros & quasi œconomos esse, cui rationē reddituri sunt suæ villicationis; cum illi placuerit postulare, & eos ab officio deponere. Non excusabit ignorantia eos, qui pro Magistris se venditant. Sicut autem Deus non vult Iudicio suo præesse canes aut lupos, ita neq; statuas, aut infantes, aut sensu seniove deliros. Recteq; constitutum est, ut sint superiora quædam judicia, ad quæ ab inferioribus

Admonitio imperitorum Judicum.

Salom. 8. Esai. 1. 3. 10. Genes. 9. Exod. 1

ribus fit provocatio, nempe ut hæc ab illis queant discere, vel ut illa corrigant, quod ab his non est satis animadversum. Vbi iterum dissentire cogor ab excellentissimo quodam viro, qui hanc rationem in regno Franciæ reprehendit, quod ibidem Sagis sartam tectam ad Parlamenta, id est, Summas curias appellandi potestatem esse velint, quum aliâs cuiq; provinciæ de gravissimis sceleribus plenum sit statuendi arbitrium: quo ambitu & quasi anfractu multas putat elabi culpabiles. Sed moram hanc vir pius & Theologus, (quem longanimitas multò magis decet, quam severitas) meritò non debebat ægrè ferre, cum etiam ab Ethnico poëta discere potuerit, quod nulla unquã de morte hominis cũctatio longa sit: Et sciat quoq; antiquo Dei populo similem ferè consuetudinem fuisse usitatã, ut judiciorum essent gradus aliqui, & unaquæq; causa pro sua natura & gravitate ab aliis atq; aliis judicibus discerneretur. Ecquis autem nostrã causam gravissimam difficillimamq; esse negare possit? quippè quæ neq; tanta evidentia in hominum oculos incurrat, utpote solo astu & dolo

Matth. 5.

Satha-

Sathanæ instructa sæpius, neq; ad tam vulgaria flagitia pertineat, quàm reliqua peccata quæ accidunt indies: quas rationes subesse Gallicæ constitutioni de Sagis, equidem facile crediderim: quanquam in reliquis aliam insuper probet Nicolaus Hemmingius quã (& ego minimè repudiandã ne in nostra quidem causa censeo) nempe quæ consistat in autoritate supremi judicis, qua is potest τῶν ἐπιείκειαν, quæ cum verbis legis pugnat, in judicando sequi, quod inferiori Iudici non licet: quippe qui vel spontaneam confessionem rei habere debet, vel testes sufficientes, de quorum fide non hæsitet.

Admonitio de superst. magicis vitã. sub. fin.

Tutius igitur fuerit (ut hoc identidẽ repetã) in hac difficultate, qua de modò agimus, non temerè eos agere, neq; mox ad extrema supplicia properare, qui rem non satis intelligunt, exemplo providorum medicorum, qui de morbi genere dubitantes, leviora & securioraq; remedia adhibere consueverunt, non illa quæ in diserimen adducant ægros, aut valetudini singularem noxam afferre possint. Quando autem secus fit in nostra causa, quã ta det in Repub. damna, quantas excitet tur-

Andr. Altiãtus parerg. Jur. 22.

turbas in populo, quibusq; labyrinthis involuat magistratum, vulgo jam notum est. τὸ γὰρ πρᾶγμα ἀυτὸ βοᾷ. Annis superioribus in Ditione Venetorum penè res ad internecionem omnium mulierum per urbium præfectos devenisset, nisi superior Magistratus intercessisset & moderationem adhibuisset. Haud dudum in vicino Ducatu Brunsvicensi à vilioribus personis ad nobiles, ab his ad summas inquirendo puniendoq; non levi cum infamia per nentum est. In episcopatu Osnaburgensi cœpit hæc tragèdia antè biennium à paucarum numero, & ita paulatim acta est, ut pluribus extiosam attulerit catastrophen, & (nisi adhuc maturè prospiciatur) ad honestissimas quasq; (quod Deus nolit) deduci possit actio: Mirificè enim delectatur Moloch hujusmodi sacrificiis, quæ partim ipsiusmet instinctu adornantur, partim imperitia credulitateq; hominum, illegitimâq; procedendi ratione, denig; impiorum (quorum mundus plenus est & in quibus Sathan efficax est) multitudine (justo Dei accedente judicio) ei parantur & celebrantur. Certum enim est quoad hominum culpam, qui

sen-

ſententiam dicunt, περὶ τὴν δίκλω ψηφίζου-σι *non paucas ſæpe innocentes pœnam ſuſtinere. Proh incomparabilem iniuriam, & quæ non ſolum ipſis quæ injuſtè dederunt pœnas ſed etiam earum familiæ gravis est ac perpetuã infamiæ notam inurit. Vtrum hîc conſultius fuiſſet illius cenſuram ſequi, qui melius eſſe dixit, multos reos abſolvere, quã unum innocentem condemnare: æquis judicibus cogitandum relinquo.*

ff. de Regul. Iuris. L in pœnis

Johan. VVier. 6 de præſtig. dæm 11. 12

Pudet autem commemorare, quam fatuæ quarundum confeſſiones fuerint, quæ tamen atrociſſimas luerunt pœnas. Reperta est, quæ ſe fatebatur pomo cuidam gravidæ exhibito fœtum excuſſiſſe, condemnata facti atq; igne exuſta est, quam iuſtè non te pœnerit alme Deus. Quod ſi quis intoxicatum fuiſſe pomum dixerit, mirum non læſam ſimul fuiſſe matrem, & adhuc magis miruis, ſemel comeſtum poſterioribus conceptibus ſimiliter nocuiſſe. Nam etſi hîc ratio aliqua phyſica excogitari poſſit, qua matrix debilitata, & ad geſtandum grandiorem fœtum inepta reddita affirmetur, quod & aliis quibuſdam contingit: tamen ſi aliæ cauſæ præ-

præter venenum magis probabiles afferri poſsint, non erat hic nodus mox Alexandri gladio ſolvendus, & Carnifici committēdus.

Monialis quædam in ditione Markenſi maleficij Sagarij ſuſpecta captaq; confeſſa est ſe imprecando devovendoq; reliquarum valetudinem labefactaſſe (erant enim ægrotæ) ſed paulo poſtquam illa morte eſſet mulctata, deprehenſum est has dæmonicas fuiſſe, etſi judicibus earum promiſiſſet reſtitutionem ab ipſius ſcilicet ſupplicio. Anno 1551. cum Tholoſæ in Aquitania viverem, producti ſunt duo teſtes in curia parlamenti contra ſuſpectum præſtigiatorem, qui affirmabant reum unà cum ipſis aliquando in urbe fuiſſe: aliquot enim miliaribus inde commorabantur, & cum ad modum exirent ſerò, ut ad lares ſuos eo veſperi veniendi nulla eſſet ſpes, ipſum eos juſsiſſe bono eſſe animo, mox equos celeres, quibus uterentur, affuturos, ſilerent, aſcenderet quisq; ſuum ſine metu, factum, eveſtigioq; quovoluerunt, perventum, neq; ſe quicquam incommodi ſenſiſſe præter faciei, quæ quaſi ſecari videretur ab aëre obſcuritatem motus, dolorem

aliquem. Ipſe reus quoq; faſſus eſt, fuiſſe ſe aliquando condemnatū ad patibulum, ſuſpenſus verò cum putaretur, non ſe, ſed mulū Iudicis in cruce hæſiſſe (riſum teneatis amici) Lata ſententia per curiam mortis tanquam veneficus ſupplitio affectus eſt.

Finis non eſſet, ſi hiſtorias de his rebus contexere vellem. Neq; tamen adeò abſurda recitari queunt, quin fidem aliquijs adhibeant & ad confirmandam pravam conſuetudinem ac opinionem conceptam tam in publicis judiciis, quam privatis conſiliis ejuſmodi hiſtorias recitant, veriſſimum eſſe oſtendentes quod Galenus ſcribit: Αἱ ψευδεῖς δόξαι προκαταλαμβάνουσι τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, οὐ κώφους μόνον, ἀλλὰ καὶ τυφλὰς ἀπεργάζονται, id eſt, falſæ opiniones præoccupantes animos hominum non tantum ſurdos, ſed etiam cæcos efficiunt: ita factum eſt ajunt: Hæc ſic contigere, iſthæc conſecuta ſunt: ſtupenda narras, vel potius ληρους ληρῶν: Sed heus tu, vidiſti ne unquam (quod etiam ante dictum eſt) vomitu ejeciſſe aliquos, quod nunquam aſſumpſerant? Non loquor de rebus natura fors aberrantcin corporibus genit is, ſed de ijs, quæ

Lib. 8. de compoſ. me. ſecun. gen.

in homine generari non potuêre, qualia in Prima parte quædam recitavi. Multa narrantur falso, & non minus stolide creduntur. Sed longum esset omnia ista portenta, ne dicam deliramenta refellere: Satis est, scire Diabolum mille opificem esse, & præstigiatorem (quod jam sæpe dictum est) maximum, cui non est difficile, plurima eusmodi oculis nostris obïcere, & per oculos corporis, mentis quoq; oculos fallere, ut per errores ad delicta seducat incautos. Proinde faciessant tandem abeantq; maximum in malum antiquus ille Serpens falsa videlicet narratio & stolida eius discipula credulitas. Non hîc de asini umbra, sed de retinenda bona conscientia: Item de vita ac morte hominum, pro quibus Christus mortuus est, agitur. Tam enim apud Deum abominatio est (teste Propheta) qui condemnat justum. quam qui justificat impium.

Vt autem Christianus judex sciat quanta sit grævitas peccati ejus, qui insontẽ condemnat, cogitet se Deum ipsum homicidam facere, qui hoc agit: deinde se quoq; damnabilem reddi coram Deo, vastata conscientia

& excussa fide: Notam quoq; infamiæ ipsi inuri, etiam post mortem, eamq; infamiam transire in familiam & alios amicos. Præterea lacerare se societatem humanam, quam conservare debebat, dum partem ejus aliquam injustè destruit. Postremò tàm tristitiã afferre bonis Angelis, quos Deus custodes attribuit hominibus, quã exhilarare Diabolos, qui homicidiis asq; injustis sententiis delectantur, sed hæc satis de his. Paulò longius digressus sum propter rei indignitatem, & ut commonefacerem quosdam humanitatis & æquitatis in causa obscura & difficili: quare pedem refero ad institutum.

Leuit. 19. Exod. 20. Samuel 28.

Dictum est de venenis tum veris, tum quasi veris per Sagas exhibitis: sequitur de earundem profanis & illicis artibus, quæ prorsus variæ & multiplices sunt, quæ pœna dignæ videri possint. Sanè hæc in Sacris Veter. Test. libris traduntur manifestò. Sed quia Moysis rigor nos non obligat, & impuniti manent similes quidam (ut dixi anteà) non video cur solæ Sagæ eo nomine tam atrocibus suppliciis afficiantur. Retulit mihi testis omni exceptione major generosus

atq;

atq; singulari sapientia, humanitate, virtuteq; verè heroica præditus Baro, Iacobus Segurius pardelianus, Regis Nauarræ Legatus Parlamēta Franciæ valde ægrè hanc causam judicare & admodū sollicitè tractare, ac præter eas, quæ vēenū exhibuerint, vix aliquas punire nisi virgis: quas hic quoq; nō dissuadeam modò mittere illas impietates voluerint

Iacoc. Segur. Par. Delianus. Galliæ Baro.

III.

Tertia causa erat, quod etsi quorundam maleficiorum causæ propriæ & proximæ non sint ipsæ Sagæ, tamen quia per aliū faciunt, id est Diabolum (quî cum pactæ sunt, cui hoc nomine supplicant & quem ad hæc facinora instigant) per se facere videntur, & pœnā merentur: Quemadmodū qui alium quempiā ad furtū vel latrociniū adhortatur, quæ ipse vel non potest, vel non vult facere. Nec possūt hæc pro simplici voto vel imprecatione haberi, (quæ in Iure fori non puniuntur) nā aliud est jubere aut rogare eos, qui possunt, ut aliquid faciant, aliud optare tantum ut faciant: Addendum (inquam) si permittente Deo possunt, alioqui inane votum fuerit, quod solus Deus punit, aut deliriū hominis amentis: sed nunc de hoc quoq;

III. *pro instituti nostri ratione satis dictum esto*

Reliqua est quarta omnium gravissima causa, & propter quam vel solam prudentes politici, iurisperiti & plerique Magistratus morte plectendas igneq; exurendas iudicant, nempe defectio & cum nefandis blasphemiis à Deo ad Diabolum apostasia, ut reatus criminis lesæ summæ & divinæ maiestatis, sicut testatur. Vlricus Molitor tractatu de Lamijs, & Pithonicis mulieribus, ex L. multi C. de maleficis & mathem.

Hæ igitur sunt præcipuæ causæ propter
Deut. 18. *quas Sagæ puniendæ: quæ si prætendantur. (ut tandem finem huic tractatui imponamus) exclusis præjudiciis, solo Dei metu Christiana prudentia & moderatione, observatis denique circumstantiis, quas antè diximus, quin exemplum severitatis, ad terrorem hominibus securis incutiendum (quæ est divinæ castigationis causa ferè præcipua) secundum præscriptum legum civilium (quo etiam blasphemi hæretici puniri solent) possit & debeat, haud quaquam negandum est.*

Conclusio. *Atque hæc hucusq; quàm brevissimè*

fieri

potuit, de tribus partibus causæ Sagarum dicta sunto: Quarũ prima, ut epilogi vice summam repetam, de natura, viribus & factis earum quid sentiendum, quantumq; illis tribuendum sit, continet: Secunda de Indiciis & Testimoniis, non esse mox quibuslibet fidendum, ut reas habeamus, quæcunq; suspectæ sunt, aut accusantur, aut etiam condemnãtur & puniuntur (nam hic quoq; multæ graves & periculosæ fallaciæ accidere possunt) sed, quemadmodum in criminalibus causis Iura postulant, quæ certa & Sole meridiano clariora sunt. Tertia Sagas quidem mereri pœnam, sed non omnes sine descrimine simili pœna afficiendas esse, neq; temerè & crudeliter (ut fit) cum illis agendum.

In quibus omnibus siquid ab aliis dissentire videar, non pertinaciæ aut Philautiæ asscribendum est, sed potius tùm conscientiæ meæ, tùm perplexitati ipsiusmet causæ: quæ ut sua sponte semper fuit obscura, sic varietate iudiciorum reddita est obscurior. Si alicubi erratum à me judicabunt pij & eruditi, id humaniter corrigant: Quod autem veritati consonum rationiq; probatum

videbitur, id omnes grato animo excipient. Nam & causam ipsam & hanc meam qualemcunq; Prophetiam Spiritui Prophetarum & prudentiorū hominum judicio subjectam esse volo, ut pax & veritas in omnibus præluceant, & ubiq; potiores partes obtineant,

Christus Iesus Filius Dei, qui venit ut opera tenebrarum dissipet, increpet Sathanam, ne hominem Creaturam nobilissimam, ad nominis divini contumeliam seducat, & in exitium præcipitet, Sed ut potius Deo suo, ad cuius honorem conditus est, laudes gratesq; agat, Deum magnificet æternumq; glorificet, Amen.

Axiomata seu Aphorismi
Tertiæ part.

Sagæ merentur pœnam sed non omnes æqualem.

Lex Mosaica nos non obligat quo ad externam politiæ formam, sed quo ad rei veritatem.

Interest Reipub. non solum ut delicta puniantur, sed etiam ut asseratur & defendatur innocentia.

Hu-

Humaniter non crudeliter agendum cum Sagis etiam quando puniuntur.

AEtas, error, docilitas, pœnitentia merentur pœnæ mitigationem.

Iudex non debet præcipitare sententiam, præsertim in pœnalibus. Iudicium enim difficile.

Iuris ignorantia neminem excusat, multò minus judicem.

Grave est innocentem condemnare, Nam Deus non sinit inultum sanguinem iniustè profusum.

Periculosum est iudicium de morte hominis, nisi constet reum esse.

Melius est multos nocentes absolvere quam unum innocentem condemnare.

Mala exempla præsulum causæ sunt multorum graviumq; malorum.

Plures causæ sunt cur Sagæ puniandæ, Sed potissima est apostasia & totalis defectio à Deo ad Sathanam.

Verè venesicas punit lex Cornelia de sicariis.

De philtris consulendi medici.

De incantamentis rogandi theologi.

Affectus pro effectu habetur, siquidem convenienti actu fuerit declaratus. Nam si actus non fuerit conveniens, deliriu̇m significare potest.

Non quicquid sequitur, eius est effectum quod præcessit.

In rebus dubiis, præsertim verò in criminalibus, mitior sequenda sententia.

Nudis verbis aut votis non fit intoxicatio, quæ aliis possit nocere.

Quod quis facit per alium, per se facere videtur.

Dei castigatio non tam fit ad talionem quam ad terrorem aliis incutiendum.

Exemplum severitatis interdum in Sagis puniendis edendum, ut & in blasphemis hæreticis.

REME-

REMEDIVM CERtum contra omnem omnium Creaturarum vim & molitiones iniquas, ex Psal. 91. Buccha.

SI protegendam præsidio Dei,
Credas salutẽ, rem, sobolem, domũ
Insana cum sors intonabit,
Si Domini fugias sub umbram,
Securus omnem fer violentiam
Sortisq; mortisq; et terrificas mi-
Contemne, securus tumultũ (nas
Despicias creperi duelli:
& fraude cœca te Deus eximet,
Frangetq; casses insidiantium,
Nec sæviens latè venenum
Lethiferæ patiere pestis.
Expandet alas te super, & suis
Pennis fovebit rebus in asperis:

Cer-

Certusq; promiſſæ ſalutis
Sub clypei latitabis umbra.
Noctis per atræ cæca ſilentia,
Non expaveſces cæca pericula:
Non luce graſſantem timebis
Perniciem, nec aperta bella:
Interq; ſtrages mille cadaverum
Dextra, ſiniſtra mille cadaverũ
Periculorum exors propinquã
Incolumnis fugies ruinam.
Pœnam luentes intereà malos
Latus videbis: præſidio Dei
Securus armorum et tumultus,
Ceu validis tegerère muris.
Nec te nec ædes vis propius tuas,
Nec damna tangẽt. Nam Deus
Cuſtodiæ tuæ ſalutis (Angelos
Præficiet, vigilesq; ad omnes

Motus,

Motus, viarũ qui reserẽt moras:
Qui persalebras te manibus ferãt
Ne saucietur pes recussus
Obijcibus scopulorum acutis.
Securus atras inter aspides
Deges, ferarũ et pignora tigridũ
Tutusq; calcabis dracones,
Et Libycæ catulos leænæ, &c.

Errata.

Litera designat folium, numerus primus, paginam secundus faciem: tertius lineam ut,
A.3.2.3 leg. sæpe. ibidem 13. difficilior.
B.1 2.7. leg institutum. 4.1.13. post alicuius deest (natos) 5.1,12. post suggestione deest (&). 7.2. 23. leg foramina 8.1.12. leg profundũ. ibid 26 leg fila.
C.1.2.13. leg involuuntur. ibid. 17 leg. negem 3. 2. 26. post (agatur) adde: Sed prius memoriæ gratia ponamus aphorismos seu axiomata aliquot ex præcedenti parte collecta. 5. 1.2. in margine pone: Indicia seu Signa sunt duplicia, Naturalia. ibid 1.21. in margine pone Civilia. 6.1.13, leg. Spontene. 6.2.1. leg. teantur 8 2.3. leg Conscia.
D.2.1. 16. post assidueq; dele puncta.
E.1.1.10. leg politiæ. 6.2.6 leg. ipsa. 8 1. 11. leg perventum. ibid 2.17. leg præterit. ibid. 20 leg: mirũ.